












NICOLAI MACHIAVELLI
PRINCEPS
ALIAQUE NONNULLA

ex Italico Latine nunc demum partim versa, partim infinitis locis sensus melioris ergo castigata;

CURANTE

HERMANNO CONRINGIO.



HELMESTADII

Typis atque impensis HENNINGI MULLERI,
Academiæ Iuliæ Typographi
CIↃ IↃ C LX.

Summa Privilegiorum.

Cautum est Privilegiis Serenissimorum Potentissimorumq; S. R. I. Vicariorum, ne quis unquam libros Hermanni Conringii cura scriptos vel editos, citra ejus heredumq; consensum, intra limites Vicariatuum, inprimat aut alibi impressos divendat: pœna delinquentibus dicta amißionis omnium ejusmodi librorum & solutionis decem marcarum auri. Prout latius definitur ipsis Privilegiorum tabulis.

VIRO GENEROSO

GEBHARDO AB AL-VENSLEVEN

Hæreditario domino in Niengater-sleven &c.

Serenissimi & Reverendissimi Principis Administratoris Archiepiscopatus Magdeburgici Consiliariorum arcanorum primario & Capitaneo in Giebichenstein/ &c.

HERMANNUS CONRINGIUS.

S. P. D.

ADfero tibi, Generose Alvenslevi, Machiavellici Principis Latinam versionẽ, veterem illam quidem atque à Sylvestro Telio Fulginate olim confectam, ita tamen à me nunc castigatam mutatatamque, ut nova haud immerito fortassis haberi possit. Vertit nimirum ille Telius non ineleganter quidem si dictionem spectes, sed parum fideliter: ut sæpenumero sensum vel nullum vel plane alium à Machiavelli mente, lectoribus exhibuerit, quædam nec attigerit, consilio incertum an negligentia. Est vero in boni interpretis officio non tam elegantiam sectari, quam præstare fidem; quæ nobis proinde maxime fuit curæ, spreto nonnihil dictionis ornatu, ut quem ipsemet quoque

Machiavellus videtur insuper habuisse, sive de industria sive quod accurate scribendi docendique artis fuerit imperitus. Una cum Principe autem adfero etiam historiam cum fractæ nobilis cujusdam in Cæsarem Borgiam, famosum istum Alexandri Sexti Papæ filium, conspirationis, tum vitæ Castruccij Castracani celeberrimi sua tempestate Lucensium Principis: utramque itidem à Nicolao Machiavello conscriptam, & quidem, ceu videtur, in exemplum quod Principes industrij prudentesque imitentur, eoque in Italica Machiavelli operum omnium editione jam tum Principi adjunctam. Et conjurationis quidem illius historia me curante nunc demum (quod equidem sciam) Latine prodit: in altera ut minus laborarem jam effecerat sua fide ac diligentia ipsemet interpres, quisquis tandem ille fuerit. Atque ego quidem isthæc nunc offero, ut cum aliud ad manum haud sit, saltim hoc exstet in publico meæ erga te observantiæ, quam prolixe exhibita nuper benevolentia provocasti, certum monumentum; tantisper donec quid melius atq; utroque nostrum dignius aptiusque dare licuerit; ne scilicet (ut incerta sunt vitæ omnia) fatalis aliqua calamitas grati animi officia, quæ in celeri-

tate habent suum pondus, vel nimis diu remoretur vel prorsus intercipiat. Nec ego dubito, te quoque meum hunc animum agniturum, probaturumque hoc consilium; atque adeo voti me futurum compotem.

Ne quid tamen dissimulem, vereor haud parum, ne hæc, & mea oblatio, & tua prompta acceptatio, quasi spectante hoc universo orbe neutrius cum rubore facta, aliquam famæ atque existimationi nostræ maculam aspergat. Apud quammultos nimirum ipsum Machiavelli nomen sine execratione non auditur: qui proinde haud ferent æquo animo, scriptorum ejus aliquid (quanto minus Principem, ceu omnium deterrimum) vel in arcano à quoquam legi: multo magis indignaturi, in vulgus isthæc nunc publicari, & quidem ceu in amicitiæ pignus ultro citroq; dari accipique. Quod judicium eo videtur gravius reddi, quia nihil non Machiavelli scriptorum auctoritate ipsorummet Romanorum Pontificum est proscriptum, & legi haberique sancte vetitum.

Verum enimvero hæc quidem tanti non sunt, quare facti nos pœniteat. Romana utiq; censura

Non semper rectum videt, est ubi peccet;

ne dicamus, quod illa sæpenumero vexet co-

 lum-

umbas corvis dans veniam. Illud utique conſtat, ſi quæ Pontificum eſt infallibilis judicandi facultas illam omnibus eſſe communem; nec ergo fas aliis fuerit, Papæ unius judicium alterius ſacris calculis anteferre. At vero fuit Nicolaus Machiavellus Cæſari Borgiæ quondam peraccepтus, ac proinde non improbatus ſane Alexandro VI. Ipſe liber de Principe anno circiter antegreſſi ſeculi decimo quinto conſecratus eſt Laurentio Medici: quem Petro fratre natum Leo X Papa Urbini Ducem paulo poſt creavit: nec tamen à Papa iſthoc vel liber ullo fuit ſiniſtro verbo notatus, (quamvis Leo omnium primus intenderit vim librorum prohibitoriam, vetitis legi diſſidentium ſcriptis omnibus ſub excommunicationis pœna, quod hactenus carebat exemplo) vel auctor priſtino gratiæ loco motus. Valuit autem in tantum apud Leonem, ut hujus juſſu arcanam diſſertationem concinnaverit de reformatione reipublicæ Florentinæ, quam manuſcriptam in Bibliotheca Gaddiana ſupereſſe teſtatur Jacobus Gaddus. Vſque adeo porro Machiavellus non diſplicuit Clementi VII Papæ; ut hic non dubitaverit ſcribendæ Hiſtoriæ Florentinæ munus illi committere, & oblatam ſibi iſtam Hiſtoriam

non

Non tantum serena fronte acceptare sed etiam favore prosequi: imo vero ut Antonio Bladio Romano typographo Machiavelli jam mortui opera, & nominatim quidem etiam hunc de Principe librum, Romæ edituro, ad decennium publicis tabulis de indemnitate caverit, idque inter alia, *in virtute*, ut verba diserta habent, *sanctæ obedientia & sub excommunicationis lata sententia pœna.* Pari mansuetudine erga Machiavelli scripta fuerunt Paulus III Julius III Marcellus II & Paulus IV. Interea vero passim per Italiam Siciliam alibique terrarum, ubi Romanorum Pontificum in cultu & veneratione est auctoritas, sua lingua Machiavelli scripta impune crebro edita, nusquam non fuerunt in manibus. Versa quin etiam fuerunt illis ipsis in locis à non uno in Latinam linguam (ne quid nunc dicam de aliis versionibus) atque adeo omnium doctorum lectioni tantum non obtrusa. Quin imo vero princeps Clemens IIX tandem severius in Machiavellum videtur animadvertisse: quum Sixto adhuc V sedente, Venetiis, Panormi, atq; alibi Machiavellica sine discrimine omnia typis sint in vulgus publicata. Et vero jam tum quidem anno seculi illius quinquagesimo secundo Ambrosius Catharinus in

Dis-

Disputationibus, de libris à Christiano detestandis & ex Christianismo penitus removendis, Romæ editis, secundo mox capite Machiavelli Discursus Principisque institutionem damnaverat; verum surdis auribus fuerat auditus; forte quod nec ipse omnibus sese suaque probaret, & nimis acri Thomæ de Vio Cajetani aliorumque nonnullorum censura, fidem sibi detraxisset. Clementis IIX ætate, detonantibus in Machiavellum, alibi aliis, Romæ autem Antonio Possevino magni nominis Jesuita & Thoma Bozio Congregationis oratorij presbytero celebri, Machiavellica denique omnia proscripta sunt.

Quanquam nihil esset caussæ, cur Possevini quidem damnationi multum adeo tribueretur; cum luculente appareat, illi quidem (si diis placet) magno censori, Principem Machiavelli, in quē potissimum invehitur, ne quidem fuisse lectum. Conscripsit videlicet ille suum aliquod Judicium, ut vocavit, de quatuor scriptoribus, Philippo La Nua, Joanne Bodino, Philippo Mornæo & Nicolao Machiavello, jussu Innocentii IX Papæ, & ab hujus obitu, (qui post duorum mensium sessionem ad plures abierat) Romæ anno 1592 divulgavit, ejus quoq; parte Bibliothecæ suæ Selectæ, quam appellavit,
inse-

inseruit. In eo vero ita disseritur, quasi à Machiavello tres de Principe libri compositi sint. Hinc statim initio, ubi de Machiavello agit, aliquot ejus sententiis enumeratis, *Et hæc quidem*, inquit ille, *sceleratum illud Satanæ organum prioribus duobus libris, quibus de Principe agit, insipienti mundo obtrusit.* Non multo post cum diceret: *redeo ad easdem labes Machiavelli, ut cognita pestis magis caveatur*, in margine libri notat *Librum tertium:* quasi libro tertio Machiavellus doceat, *belli justitiam in ea quam sibi quisque putat esse necessitatem*, collocari. At vero certo est certius, non nisi unicum & quidem exiguum illum, quem nunc manibus gestas, Generose Alvenslevi, libellũ de Principe, Machiavello auctore esse conscriptum; & nusquam terrarum illum tres in partes fuisse sectum; nec in hoc libello reperiri ea quæ inter alia criminatur Possevinus, religionem Ethnicam Christianæ præferendam, aut doctores Christianæ religionis nihili faciendos: ut nec quidquam hoc libro (quod itidem Possevinus conqueritur) inclementius dicitur in Romanam Ecclesiam, sed potius illud capite XI: ipsum Principatum Pontificium non humanis consiliis atque artibus, sed quadam inusitata vi, & quidem solius

 Dei

Dei favore, salvum esse; quod vix quisquam zelotici gregis affirmaverit. Nec tamen longe petenda aut hariolanda venit caussa crassi illius Possiviniani erroris, modo quis inspexerit volumen illud, quod Antimachiavelli titulo, ἀνωνύμως opposuit hinc inde ex variis libris Machiavellicis excerptis sententiis Innocentius Gentilletus. Hoc enim tres in libros est distinctum; & in ejus duobus prioribus reprehensa sunt illa, quæ duobus prioribus de Principe libris haberi Possevinus ridicule affirmat: in tertio etiam illorum librorum animadvertitur in ea, quæ ex tertio libro de Principe frustra repetit Machiavellus. Ut liquido appareat, ex illo volumine Antimachiavellico non autem ex Machiavello ipso Possevinum sua accepisse. Etiam illum vero librum oscitanter à Possevino esse lectum, argumento est, quod cum non collectæ ex solo Principe sint à Gentilleto sententiæ istæ, sed ex illis etiam Machiavelli monumentis, quibus res Florentinas ille persecutus est & Livij primam decadem illustravit, Possevinus tamen in uno Principe eas omnes reperiri, ausus sit jactitare. Est quidē vix credibilis hæc oscitantia & vanitas, hominis multi in re literaria nominis: ne quis tamen dubitet,

curavi

curavi ipsum illud de Machiavello Possevini judicium, ex ipsamet Romana ejus editione expressum, Machiavellicis opusculis hic subjungi. Quanquam mihi illud observanti in Possevino, nihil præter solitum evenerit; ut qui fœda hominis, quantumvis doctrinæ variæ & ingenij magni, plagia, quorum & à Jacobo Gaddo Florentino fuit accusatus, ac superba quidem & præfidentia, iniqua tamen, deque rebus & viris sibi ignotis improba judicia, jam tum crebro deprehendissem.

Quum nihili vero sit Machiavelli Posseviniana damnatio, vel hinc etiam merito quis ipsorummet Pontificum Romanorum proscriptionem parum æstimaverit: utpote quum hæc à Possevini demum censura sit provocata, & ab illo præjudicio primum cœperit: longe mitius Machiavellica habentibus quotquot Clementem Octavum præcesserunt. Præcesserunt vero ab Alexandro usque sexto Papæ integri septendecim; à Clemente autem illo, primo Machiavellicorum damnatore, usque hactenus non nisi septem Romanam cathedram tenuerunt: ac proinde & numerus damnantium Pontificum longe est minor numero eorum qui haud improbavere. Nec tamen vel id certo affirmaveris, illos septem serio Ma-

chiavellica damnasse. Quod enim in Expurgatorium indicem semel relatū est, illud hinc eximere sæpe sola ratio status Pontificii non patitur: eoq; non præbet Index perpetui Pontificum consensus firmum argumentum. Quid? quod regimen civile plærorumq; Pontificum si penitius inspicias, haud difficulter liqueat, illud reapse vix aliqua in re, etiam ab illis cæteroquin invisis Principatus struendi tuendique regulis, dissentire; imo ad illas quasi sancte componi. Alexandri sane sexti, qui utique perfidia fuit plus quam Punica, auspiciis, consiliis, & auctoritate gessit omnia Cæsar Borgia; is quem in exemplum gnavi prudentisque Principis ex sui ævi hominibus unice Machiavellus commendat. Leoni X non alia probata, vel hinc colligere fuerit, quod Octavianus Fregosius Genuensium dux, cum contra datam Pontifici fidem Francis sese junxisset, copiosa ad Leonem exarata epistola, non dubitaverit affirmare: *si ad privatos homines vel ad Principem, qui privatis rationibus regnorum res metiretur, scriberet, difficilius sibi fore perfidiæ notam diluere: sed quum ad omnium ejus ætatis Principem sapientissimum, quique pro sua sapientia, ipsum suum statum alia ratione conservari non potuisse perspiceret, literas daret; apud eum, qui*

quid liceret, vel saltim quid Principes non modo eum ad eum statum sunt redacti, verum etiam imperii augendi, vel in meliorem statum redigendi gratia, facere consueverint, optime cognosceret sciretque, se excusare supervacaneum esse. Quod posteritati prodidit Guicciardinus. Aliorum Pontificum exquisite Machiavellicos, ut nunc appellantur, actus omnes recitare, infiniti fuerit laboris opus. Nec arbitror illos temere cuiquam gestarum rerum gnaro esse ignotos: eoque ne tangam quidem. Hinc vero haud injuria fortassis in eam quis deveniat sententiam, non serio ab ipsis Pontificibus Machiavellica improbata; ac proinde nec censuram illam Romanam ita religiose metuendam esse, quam multis ex vulgo est persuasum.

Si in alios porro Machiavelli damnatores accuratius inquiramus, non est etiam fortassis, quod eorum vel magnus numerus vel auctoritas usq; adeo quem statim in consensum abripiat. Certe res ipsa loquitur, eorum maximam copiam damnare ne lecta sibi quidem; haud paucos, judicij inopia prodita, jam decoxisse existimationem; complures denique nonnisi in speciem, & ut fucum vulgo faciant, Machiavellica detestari: eorum igitur Machiavelli damnatorum, quibus jure debeas

 mul-

multum tribuere, numerum postremo per esse exiguum. Et vero vel illud quod memoravimus Possevini facinus luculente ostendit, non deesse etiam eximiæ dignitatis atque existimationis viros, qui scripto publico ne inspectum quidem Machiavelli Principem sævo calculo abjecerint. At vero equidem haud formido, quovis pignore non certare sed evincere, damnantium illorum plurimos alios, ad Possevini illud exemplum, de Machiavello non lecto sibi, imo vix eminus viso, aliorum duntaxat cæco præjudicio instructos, secure pronunciare. Saltim horum igitur voculæ non magis curandæ fuerint, Generose Vir, quam illæ quorundam Pontificum: nisi ad insani vulgi arbitrium omnia componenda quis existimet: quod à norma prudentiæ multum est remotum.

Vereor autem ne hujus ordinis, h. e. illorum qui tanquam cœci de coloribus judicant, sint & illi, qui Machiavelli scriptorum quicquid est reliquum, tanquam pestifera doctrina nulla infectum, non dubitant commendare, solum vero Principem atro carbone notant, atque ex cœtu eorum quibus virtus cordi est proscribunt. Nec enim est verosimile, temere quenquam eam in sententiam posse devenire, cui Machiavellica omnia

lecta

lecta sunt, certe cui sunt expensa. Quam multa enim in Discursibus qui appellantur occurrant, ejusdem cum iis, propter quæ male adeo Princeps audit, notæ, vel is liber docuerit qui Antimachiavellus inscribitur. Ego sane profiteri non dubito, nihil in Principe reperiri τ̃ ποιηρ̃ κόμματ@, quod non item Discursus illi plena, ut ita dicam, manu exhibeant. Si vero & illi censores Machiavellici non possunt non saltim suspecti esse, tanquam præjudiciis aliorum capti, aut in vulgi gratiam, ea quæ non legerant condemnaverint; patet iterũ, Generose Alvenslevi, quantus damnantium numerus, altero hoc censu instituto, ex idoneorum judicum subselliis ejiciendus sit; quamve adeo angusta fiat classis, tot rejectis, eorum quorum de Machiavello sententiæ quantivis merito pretii videantur.

Vide porro plærosq; Machiavello oppositos libellos atq; expende censuras; mirum sane in modum vel imperitia eorum vel iniquitas statim sese offert. Quam iniquum enim illud est Innocentij Gentilleti, viri cæteroquin multo doctissimi (is enim non injuria creditur auctor Antimachiavelli) de Machiavello assertũ, *judicij naturalis firmi & solidi ne unciam quidem ei fuisse*! Longe profecto

rectis-

rectius & magis candide Iustus Lipsius Machiavello tribuit, *ingenium acre, subtile, igneum.* Id quod usque est adeo clarum, ut ipsemet Possevinus ultro fateatur, *non defuisse illi ingenium & acumen.* Quam iniquum illud ejusdem Gentilleti: *Machiavellum historiarum nullam vel perexiguam notitiam habuisse!* Longe utique aliud scripta loquuntur ejus omnia. Quin imo clamant illa, lectam à Machiavello historiam fere omnis etiam veteris ævi, & lectam non ad voluptatem, nec in usum Grammaticum ceu fit plærumque, sed cum insigni civilis prudentiæ fructu, atque adeo lectam acri judicio politico adhibito: quod à paucissimis fieri vel solet vel potest. Quæ sententia fuit etiam Alberici Gentilis viri perquam docti; qui proinde haud dubitavit scribere: in Machiavello id laudandum, *quod in lectione historiarum non grammatizet sed philosophetur.* Quam iniquum postremo & illud Gentilleti: Machiavellum *fuisse tenuissimi municipij ac pagi scribam, nec ullum rerum usum assequi potuisse, quique nihil ferme sua ætate, nisi forte aliquas civitatum & minutorum Italiæ Principum rixas, ac Florentinorum quorundam civium consilia ac factiones viderit!* Utique enim constat, Machiavellum à secretissimis consiliis fuisse nobilissimæ

& per

& per Italiam tum potentissimæ Florentinæ reipublicæ, atque ad illius res maximas admotum: inque Machiavelli ætatem horribiles universæ Italiæ conversiones incidisse. Hæc cum summe sint iniqua, non desunt tamen qui iis applaudant. Quis vero prudentior illorum judiciis steterit, quos usque adeo odium & animi intemperies egit in transversum?

Æquè conspicua autem est complurium damnantium aliorum ruditas. Enimvero ut ad Possevinum ipsum redeam, non equidem derogabo quidquam ejus commeritæ laudi, (fuit enim multiplici, fateor, doctrina imbutus) at vero quam ille rudis sit civilium scriptorum censor, vel quivis intelliget, cui non grave fuerit, saltem limis oculis inspicere ejus quod jam ante notavimus Iudicium. Manifestè sane ibi prodit, nihil perinde in Machiavelli placitis sibi displicere, quam quod ille suaserit Principi, *ut de Romana Catholica Ecclesia pessime sentiat.* Tantum vero abest à Machiavello id aperte quidem ac diserte suasum esse, ut ex adverso ille capite IX Principis affirmet, Principatum Pontificium sola admirabili divina vi servari ac sustentari: ceu jam ante admonuimus. Vtque alibi ille doceat plurimum damni Italiam à

Romano illo Pontificatu accepisse: hoc tamen longe diversum est ab eo, cujus illum Possevinus insimulat. At vero non injuriam duntaxat isthac calumnia Machiavello Iesuita facit, sed totus in eo fere occupatur, ut persuadeat Principibus contrariam plane, multoque maxime absurdam & à verisimilitudine alienam sententiam: nempe eo feliciores esse Principum res, quo illi addictius Romanam Ecclesiam atque adeo Papam venerantur. Huc enim spectat illa divinitus conferendæ temporalis felicitatis promissio, facta scilicet illis qui Ecclesiam defendunt: utpote quum Ecclesiæ nomine ipsi potissimum veniat Romanus Papatus. Quasi vero non longe plures Cæsares, Reges, Principes, alieni à vero Dei cultu & Ecclesia, hisce in terris fortunati vixerint, quam illi pauci Christiani, quos ille commemorat. Imo vero, quasi non quidam etiam persecutorum Ecclesiæ veterum superaverint, vel saltim æquaverint, felicitatem ipsius Constantini Magni. De Trajano sane id negaverit nemo vitæ & rerum ejus haud imperitus. Sed & priscæ utique & aureæ Ecclesiæ temporibus nunquam audita fuit illa politica doctrina: quod felicitas Principum à Romanæ Ecclesiæ Pontificumque cultu sit suspensa. Recenti-

or illa est & Romæ primum nata: quamvis jam tum in Leonis III aliorumque seculi octavi & noni Paparum epistolis alibi illam annotaverimus. Obiit quidem Possevinus ille à Clemente Pontifice missus legationem non unam, in Poloniam, in Moschoviam, imo in ipsam Sueciam ad Ioannem Regem, non sine dexteritatis laude; sed cum ubivis suæ illius novæ πολιτικῆς mala semina spargeret, ingentes passim turbas quidem, quæ Regibus & Regnis exitio fuerunt atque sunt etiamnum, concitavit, boni consilii verò nulla vestigia reliquit. Ut proinde etiam hinc sit manifestum, non ea merito esse autoritate Possevinum, ut ob illius criminationes Machiavellus damnari debeat. Nec enim nunc repetam illud quod paulo ante demonstravi, Machiavelli Principem ne quidem Possevino fuisse lectum: atque adeo turpiter hominem ipsimet Innocentio Papæ sententiam ejus roganti imposuisse. Vt nec quicquam addam, quod Possevinus Machiavellica pauca duntaxat, ad moralem potius aut sacram philosophiam pertinentia, perstrinxerit, iis quæ vere πολιτικὰ sunt, nec ferenda tamen, plane neglectis, quod itidem tamen indicat πολιτικὴν ἀκηλοσίαν.

Produnt vero similem ἀκηλοσίαν præter hunc

 Posse-

Poſſevinum multo plurimi alii. Vix quenquam ſane reperias Machiavelli damnatorum, qui alio illum nomine rejiciendum cenſeat, quam quod de religionis Chriſtianæ ſacris placitis deque virtutis & honeſtatis rigido cultu improbe ſentiat doceatq;: quaſi cætera illius bene ſeſe habeant, nec vituperium mereantur. Et vero non deſunt illos inter, qui obſervantes à nonnullis committi hodie in republica quæ à juſti regula haud parum declinant, paſſimque terrarum jus & rectum ex uſu regentium ſuſpendi nunc atque æſtimari, illam improbitatem ſoli noſtro ſeculo imputant, & quidem quaſi ita edoctum ſit ab unico vel ſaltem primo nequitiæ magiſtro Machiavello. Quam in ſententiam videre cumprimis eſt de Machiavello conquerentes Gallicanos ſcriptores aliquot; quod nimirum ex hujus diſciplina profecti, contra antiqua Francici regni inſtituta & contra pacta conventa, intenderint dominatum, populo in ſervitutem redacto. At vero, me quoque fatente, illa quidem Machiavelli accuſatio juſta eſt, quod ſacrorum noſtrorum obtrectator ille fuerit: paſſim enim ille denudat hunc ſuum animum impium, quantumvis nonnunquam ſimulet aliud; aut vero coactus ſanctimonia religionis noſtræ, quæ

ipsi impietati oculos perstringit & dat illam in ruborem, alia docuerit. Imo vero & divinæ circa humanas res providentiæ aliquam quidem, ex sola eventuum civilium observatione natam, perexiguam tamen, cognitionem homini fuisse, nimium quantum est manifestum, vel ex illis quæ vicesimo quinto Principis capite disseruntur, ne alia nunc tangam. Et hactenus profecto nemo pius non hominem illum merito damnaverit. At vero ea tantum propter, scripta illius promiscue omnia hominum manibus excutere, si laudes vel non improbes reliqua, id vero inopis est judicii magnum argumentum. Omnis nimirum Machiavellica isthæc sacrorum nostrorum obtrectatio intra paucas voculas hic aut alibi sparsas stetit, nec usquam vel conatus aliquis est adhibitus, salutiferam de providentia divina doctrinam speciosa ratiocinatione convellendi. Imo passim ita sese gerit, ut nihil in eo quamvis acerrimus censor desideraverit. Itaque inde quidem noxæ nihil temere est metuendum apud quenquam, cui vel paululum est veræ pietatis aut sani judicii. Eo enim robore, eo pondere firmissimorum argumentorum, religionis nostræ veritas subnixa est, ut nihil sit cur ullas quamvis

speciosas cavillationes metuamus; tantum abest ut inanes aliquot voculas formidemus. Adversus ejusmodi nænias remedium à prohibitoriis Indicibus petere, est diffidere vel religionis nostræ caussæ vel pietati integroque hominum judicio. Nec vero illis quidem Machiavellicis quisquam moveri potest, nisi qui vel jam tum deplorata est impietate, vel obtusa adeo mentis acie, ut nec Machiavellicis legendis sit idoneus. Id quod ipsimet illi Papæ videntur judicasse qui diu adeo toleraverunt Machiavelli promiscue omnia: satis gnari simul; temeraria ejusmodi prohibitione & suspectam reddi pietatem, & incendi desiderium vetitorum. Quid? annon longe plura & speciosiora, pietati & sacris nostris adversa, leguntur in quam multis aliorum scriptis, quæ tamem tolerantur inter manus, etiam eorum qui è vulgo atque adeo maxime obnoxii deceptionibus sunt? quales lectores plæraq; Machiavellica vix admittunt. Si ab his nihil periculi, multo minus à Machiavellicis istis nugis quamvis impiis est metuendum.

Par ratio vero eorum quoq; est, quibus vim roburq; virtutis ac honesti infringere Machiavellus creditur. Quamvis enim non desint qui nec illud agnoscant, sed excusent Machiavellum, tanquam

quam nihil aliud voluerit docere, quã illis Principibus, quales semper sunt multi, haud expedire servando Principatui accuratum virtutis studium, sed deflectendum subinde esse ab illa regia via si sua velint salva; cœtera Machiavellum justo pretio virtutem & honestatem æstimare. Quamvis, inquam, nonnulli hunc in modum eludere conentur accusationem Machiavello intentatam: ego tamen ingenue fateor, deprehensam etiam à me in variis Machiavelli scriptis minus rectam illam doctrinam, cujus nomine ille adeo malè audit. Vt enim haud negaverim, sine malis artibus ejusmodi teneri haud posse inique parta imperia, nefas tamen est, illas in promiscuum usum Principibus omnibus, imo omnibus rebuspublicis commendare: id quod fecit Machiavellus. At vero & illa doctrina nonnisi hic alibi sparsa est, & quidem verbis paucis, cum passim alibi in virtute laudanda præstetur opera egregia. Legi quoque nonnisi à paucis solet: nec potest probari nisi ab iis qui jam tum improbis artibus gaudent vel assueverunt. Ac proinde nec ab illa magnum aliquod probitatis detrimentum est quod metuamus. In universum scilicet nemo temere ab iis quæ in Machiavelli scriptis impia aut improba re-

peri-

periuntur trahetur in consensum, qui non jam tum male imbuto est animo. Illud enim profecto nimis est ineptum, nimiumque arguit humanarum rerum insignem imperitiam, quod jactari à quammultis solet; quasi vel primus vel solus Machiavellus improbæ illius doctrinæ sparserit semina; & tanquam illo demum magistro homines hodie discant, à commodo reipublicæ nihil non atque adeo ipsam quoque pietatem & honestatem suspendere, antehac verò salva steterit prisca morum integritas, staretque etiamnum, absque Machiavelli esset scriptis eorumque diligente lectione. Nihil sane imperitius audiri potest de humanæ vitæ rebus. Vtique enim non in illorum duntaxat qui clavum imperii tenent & gubernacula tractant reipublicæ, sed & in infimo quolibet hominum ordine, quamplurimos invenias, qui id quod utilitatis fulget specie honesto anteponunt, imo id denique honestum censent quod suis rebus expedire arbitrantur. Saltim hos vero non dixeris magistro Machiavello edoctos. Quî suspiceris igitur, politicos illos viros omnes, idem qui faciunt aut sentiunt, non nisi à Machiavello sic animatos esse? Nec vero huic hominum generi aliter publicum quam cuiquam

alteri

alteri privatum & domesticum commodum cordi est: ut domui cuivis non minus quam civitati sua est quam vocant status ratio. At vero quæ hodie eadem fuit jam ab antiquo, & pene à mundo condito, morum perversitas. Laudatores acti temporis plærumque & sibi fingunt & narrant aliis suavia somnia. Iam ante Machiavellum itaque improbæ ejusmodi sententiæ dudum & notæ fuerunt & in rem deductæ. Neve credamus paucis forte privatim illas placuisse, aut si publice, populis solum ignobilibus; in facili profecto fuerit ex ipsa elegante Græcia & ævo antiquo dare ὁμοψή-φους, Athenienses, Lacedæmonios, Macedones, ut prætercam alios minorum gentium. Plerumque erga exteros quosque reapse idem probasse ipsosmet Romanos, nimis quam aperte loquuntur eorum monumenta: quantumvis domi civium res exquisitis legibus composuerint. Alibi terrarum gentes non integrius vixisse, ex historiis omnis ævi in comperto est. Non princeps itaque Machiavellus terrarum orbem illa improba docuit; non illo magistro qui hodie ita sese gerunt possunt gloriari. Vitia cum ipso humani generis cœperunt primordio: cum vitiis nunquam non visa est. *Utilitas justi prope mater & æqui.*

Vt olim ita & hodie talia nullo pene magistro solent disci: suggerente plus satis eorum singulis congenita iniquitate. Vix centesimum profecto hodie reperias qui ex Machiavello illa hauserit vel haurire dignetur. Quamvis igitur scripta illius impune toleres, nihilo deterior; quamvis manibus excutias, nihilo melior orbis evadet. Gallicorum illa quorundam cum Machiavello expostulatio, quasi ex illius demum scriptis accepta sint herilis apud sese imperii præcepta, vere ridicula est. Vtique enim prima in Galliis dominatus regii fundamenta ipsi Galli prudentiores quique solent Regi suo Ludovico XI adscribere ejusq; vafris artibus; qui ut Machiavellum ætate multum præcessit, ita sane dominandi artes ab illo edoctus non est. Taceo nunc, quod illa Machiavello laudata, ne ipsis quidem Gallis veteribus, neque cum Gallias domarent Romanis, fuisse ignorata, liquido appareat ex priscis monumentis, & cumprimis quidem ex ipsismet C. Cæsaris de bello Gallico commentariis. Quid? quod ipsum illud tantopere exagitatum, omnia civilia negotia ad utilitatem publicam ceu ad normam exigenda esse, non simpliciter à vero & recto alienum, sed si sano sensu accipias longe verissimum, & ipsis optimis qui-

bus

busque civilis juris auctoribus ultro agnitum professumque sit. Solam utilitatem sane fontem esse & gentium & civilis juris diserte professi dudum sunt ipsi illi ex quorum scriptis Pandectæ Iustinianeæ coaluerunt, imo ipse ille Augustus legũ conditor. Hic profecto ipsos tyrones Romanæ jurisprudentiæ voluit discere illud de gentium jure: *Ius gentium omni humano generi commune est, nam* VSV EXISTENTE ET HVMANIS NECESSITATIBVS *gentes humana jura quædam sibi constituerunt*: illud item de privato: *Privatum jus est quod ad singulorum VTILITATEM spectat*. Aliorum verba idem sonantia adducere non est hujus instituti: estque jam tùm hic locus non semel editis libellis à me in publico illustratus. In eo duntaxat Machiavellus merito reprehendendus venit, quod deceptus vulgi pravis sententiis, non probe distinxerit illa quæ vere utilia & quæ nonnisi brevi temporis commodo aliquo speciem utilitatis mentiuntur, in futurũ noxia: quodq; illa quæ injuste sive partis sive parandis imperiis crebri⁹ prosunt, nullo discrimine, in universum & omnibus & semper commendet. Quod si sane illa probe fuissent ab homine illo observata, multo maxime pateret accusatorum illius iniquitas. Nec vero quidquam

 inso-

insolens tum haberet ejus doctrina, utpote quum tyrannicas artes quasq;, quamvis pessimas, longe etiam ipso locupletius & accuratius & apertius jam tum olim præclarissimi Prudentiæ civilis magistri quasi in vulgus publicaverint. Fecit utiq; hoc princeps ipse Philosophorum Aristoteles quinto Politicorum libro. Nec obscure præcepta eadem tradidit Xenophon in Hierone & opusculo illo quo Atheniensium suorum rempublicam perstringit, Plato item octavo de republica libro. Nihil sane habet Machiavellus improbæ fraudis, quod non dudum ab illis clara sit in luce collocatum. Vt hinc etiam appareat Machiavellicorum damnatorum imperitia, qui ita vociferantur, quasi primus ille præcepta tyrannidis vulgaverit, hactenus orbi ignota & incomperta. Sed & Tiberii ac Neronis actus omnes ut & Augusti extrema curiose adeo describens Cornelius Tacitus, quid aliud quam vivam quasi imaginem Principum ex Machiavelli schola prodeuntium exhibuit, neutiquam tamen à Machiavello edoctus? Quamvis igitur minus recte prudenterque sese gesserit Machiavellus, quam ab illis priscis est factum, non ferendi tamen illi ejus damnatores fuerint, qui usque adeo imperitiam suam produnt, & suaviter sibi

sibi aliisque persuadere conantur, solius Machiavelli proscriptione satis esse terrarum orbi consultum, & cautum virtuti pietatique. Eo minus profecto audiendi illi sunt, quod iidem Iusti Lipsij Politicum volumen ambabus amplexentur, exosculentur, omnibusque commendent; quem tamen, etsi majore nonnihil vafritie sit usus, Machiavellica & sapuisse & docuisse, facillimum deprehensu est, si expendere cui animus fuerit, quæ libro ejus quarto capitibus tertio decimo & decimo quarto disseruntur. Statim enim utique in ipso initio negat, placere sibi illos, *quibus probatur solum cum virtute directum iter*: & non multò post non admittit quidem, *in iis aliquid turpe esse mixtum*, mox tamen præcipit, *utilia cum honestis miscenda*, modò non omnino abeatur ab honesto. Capite sequente fraudum usum probat, & tamen in universum definit fraudem: *argutum consilium à virtute aut legibus devium*. Modum itaque duntaxat in ejusmodi servandum reapse vult Lipsius: quod ipsum & Machiavellus docuit; qui in Dissertationibus ad Livium ingenue fatetur, immites illas & fraudulentas dominatus rationes non Christianis tantũ legibns, sed ipsi humanitati adversari, iisque privatam vitam longe optabiliorem esse.

 Docu-

Docuit vero ita Lipsius, nullo inter juste & inique comparatos Principatus, nullo inter Regna æqua & Tyrannides, facto discrimine: atque adeo non minus crude atque Machiavellus. Aut ἀῤῥωςίαν διανοίας aut partium studium igitur aperte ostendunt illi, qui Machiavellum proscribunt & probant Lipsium: atque adeo etiam ita merito suspecti omnibus esse debent, nec admittenda ulla eorum auctoritas.

Non immorabor amplius perstringendæ Machiavelli damnatorum plærorumque inscitiæ, cum jam tum nimium satis illa clareat. Est autem præter hos quidem & aliud aliquod censorum genus, sed quod æque rejici meretur, idque insignis improbitatis nomine. Sunt scilicet quibus placita Machiavellica & plene cognita & vehementer accepta sunt: qui, sua tamen interesse existimantes, videri in vulgus ab iis alieni, solent publice in hominum coronis illa detestari, nec minus severe, quam fit ab aliis, in Machiavellum animadvertere. Hujus classis esse pragmaticos perquammultos, ostendunt sane complurium in rebuspublicis præcellentium hominum actus, ad Machiavelli regulas exquisite compositi, nusquam laudato magistro nisi in arcano & inter epoptas. Inter scri-

ſcriptores quoque noſtri ævi, ſi accurate obſervaveris, nonnullos hujus notæ deprehendas. Mihi ſane illa larva tectus ſemper eſt viſus Thomas Campanella, Machiavelli dogmatum ſcilicet acerrimus pariter reprehenſor & fucatus doctor. Non equidem negaverim hac etiam in re haud omnino injuriam fieri Machiavellicæ diſciplinæ: quia ſimulare probitatem cum ſis improbus, quod Principibus ille ſuaſit, nequeas, niſi ſaltim coram vulgo Machiavellum damnes: quod etiam quantum judico, fuit in cauſſa, cur ipſe Machiavellus inops & ab illis etiam quos inſtituebat deſertus fuerit. Quoniam tamen nimium manifeſta eſt hominum illorum improbitas, non admitti profecto poſſunt eos inter, quorum merito auctoritas in judicio æſtimanda eſt. Et vero hi laudatores potius ſunt Machiavelli quam damnatores, ſi larvam detraxeris.

Vt redeamus igitur in viam, Generoſe Alvenslevi: qui vel improbitate, vel inſcitia, vel cœco partium ſtudio non decoxerint exiſtimationem, paucos admodum invenire eſt Machiavelli damnatores, atque adeo ingens ille numerus qui videbatur, neminem prudentum eſt quod terreat; cum reapſe, computatis iis quorum auctoritas

quam-

quantivis debet esse pretii, isthæc copia ad paucos recidat. Sed & hos paucos fortassis aspernari licet; cum non minor sit multitudo eorum, qui tantum non omnibus civilis prudentiæ scriptoribus unum Machiavellum longissime anteponunt, idque procul dissimulatione; adeoque hunc præ aliis omnibus quasi in sinu gestandum arbitrantur. Specimen laudum ejusmodi exhibet ipsa ultima hujus voluminis pagina. Verum enimvero nec horum invidenda præconia apud me in alteram partem multum valent. Nec vero ego tantum prudentiæ Machiavelli in libris hactenus observavi. Imo, nisi fallor, in quampluri mis de republica consiliis, non jam dicam improba, sed plane vel inepta vel noxia ille suggessit ac suasit. Nec dubito idem mecum censuros prudentiores quosque, ubi saltim meæ in Principem Politicæ Animadversiones prodierint in lucem. Quæ imperandi præcepta utilia Machiavellus docuit, illa jam dudum ab aliis prodita observavi. Ne quidem illa quæ ad tyrannidem faciunt illi deberi, aut ab illo plene tradita esse, jam tum ante adfirmavi & denuo nunc repeto. Et vero liquido apparet, illos etiam magnos Machiavelli laudatores, veteris ævi vel parum vel nihil degustasse; Ari-

stotelem

telem certe Platonem Xenophontem, vel non inspexisse, vel non nisi obiter & vagante animo. Vt nec propter illa, quæ laude haud indigna habet Machiavellus, scripta ipsius præcipuum aliquem locum in scholis Politicis commereantur; tantum abest, quod digna sint aliis omnibus anteponi, vel præ aliis esse in admiratione.

Quantumvis autem nec deterritus ego sim damnantium numero, nec laudantium opinione in Machiavelli amorem abreptus, imo quamvis & ipse Machiavelli nonnulla execrer nonnulla improbem, non tamen edidi nunc duntaxat hæc quæ vides, Generose Alvenslevi, Machiavellica, sed etiam pene novam versionem adornavi. Vt ingenue autem fatear, quod res est, feci illud non tam sponte quam necessitate quadam coactus. Deprehendi scilicet, impietatis quidem notam Machiavello inustam, relicta tamen illi de reliquo singularis prudentiæ existimatione; ac proinde etiam probos quam multos hac opinione imbutos incaute consiliis illius obsequi. Cum ego itaque longe aliter sentiam, operæ me pretium facturum judicavi, si saltim illius Principem Politicæ censuræ in diatribis Academiæ nostræ submitterem. Principem enim præcipue dignum ani-

 mad-

madversione duxi; cum quia hic libellus præcepta contineat, plæraque Machiavelli alia vel historica sint, vel de aliorum gestis judicia, vel ad artem militarem pertineant, tum quia Principatus est frequentissima hodie reipublicæ forma, atque adeo præ aliis mereatur integris & omni parte sanis præceptis doceri. Imo quoniam à me illa de Principatu doctrina cum ex Aristotelis tum ex proprio ductu jam esset tradita, videreturque solus Machiavellus adhuc audiendus. Verum auditoribus nonnisi pauca Machiavellici illius libelli exempla fuerunt in manibus, & illa sic versa, ut me animadversorem haud admitterent, nisi nova pene facta interpretatione, certe non nisi correcta interpretis Telii obscuritate: & tamen collatio omnino cum censura mea instituenda fuit ab auditoribus, ut fructum justum caperent sui laboris. Sic itaque nata illa est nova Principis editio. Adjunxi autem Principi alia illa; partim quod nonnulla Principis Machiavellici illustrent, ceu cumprimis facit historia fraudis illius qua Cæsar Borgia conjuratos circumvenit; partim quod & ipsa illa operum Machiavelli editor Italus jam conjunxisset. De historia vitæ Castruccii non me fugit acerbum Pauli Iovii judicium. Vitam enim Gale-

ecij Mediolanensium Principis, eum dixisset, Castruccium *ad consummati imperatoris existimationem, nisi præmatura fata vitæ cursum præcidissent, perventurum esse credi*, hisce verbis claudit: *Quanquam Machiavellus Florentinus improbe corrupta historiarum fide in eum praeferocem patriæ suæ hostem impudentissime jocatus, dum ejus vitam commentitie lasciveque, contra veritatem, ad risum nauseamque perscriberet, id unum maligne contenderit, ut Nicolai Tegrimi Lucensis, sincerissime cuncta de Castruccio Latine enarrantis, spectata authoritas interposito mendacio apud posteros elevaretur.* Similem in modum idem Iovius perstringit hoc opusculum in Elogio illius Tegrimi. Verum ut dubia alias est Iovii fides, ita vereor ne & hæc censura amore in Tigrimum & odio in Machiavellum infecta sit. Sane iniquo sese in Machiavellum fuisse animo, Iovius nec in Elogiis, ubi de Machiavello agitur, dissimulare potuit. Sed parum refert sive accedere Iovio sive ab eo dissentire fuerit visum: ego sane neutrum habeo ullo in discrimine. Satis est quod Principis Machiavellici imaginem in Castracano liceat contemplari: ne ipso quidem Iovio diffiteri auso: *virum fuisse haud dubie antiquis ducibus bellica virtute comparandum, nisi tyranni nomen ex atro-*

 cibus

cibus factis invidiæ expositum vel præcellentis virtutis famam facile prægravaret.

Nulla vero me quamvis ingens necessitas ad hæc edenda coëgisset, nisi jam tum versari in manibus hominum vidissem, aut si spes ulla esset isthæc hinc excuti, vel illis remotis hominum malitiam corrigi & in futurum caveri posse. Enimvero scio equidem, exigere prudentiæ officium, haud ignorare fraudum & impiorum scelerum quidquam, quibus humana vita sursum deorsum vertitur; & proinde nec à prudentiæ doctore ejusmodi, quamvis nefarias artes, posse non produci in publicum: si tamen rarius exerceantur & à paucis intelligi queant, fateor, non temere omnibus promiscue propalanda, & interesse reipublicæ, talia à quam paucissimis teneri. Perinde scilicet atque nemo prudens probaverit, veneficiorum arcana portenta produci. Igitur cum mista sint passim Machiavellicis scelerata atque impia præcepta, quædam & aliàs noxia bonis Principatibus, nisi illa jam tum plærisque in civili vita occupatis plus satis nota, & in usu essent frequentissimo, nisi item Machiavelli isthæc scripta in manibus jam tum versarentur, ne quidem illa quæ hinc capi simul potest utilitas tantũ apud me

valuisset, ut publicandi laborem sumerem. Sed longe aliter res sese habet: & observare est semper tyrannorum plerosque à literarum usu alienissimos, nec ex cujusquam scriptis tyrannidis suæ artes edoctos esse. Quod si porro ex scripto velit quis tyrannum agere, remoto etiam procul Machiavello, tamen isthuc quæ faciunt ex Platone, Xenophonte, Aristotele, Tacito, aliis, satis omnia didicerit. Non caret vero insigni utilitate etiam hæc ita evulgasse: ut nempe, si qui simpliciores & scelerum humanæ vitæ minus gnari, ex sua probitate aliorũ ingenia æstimantes, reperti fuerint, moniti sibi caveant suæque libertati à tyrannorum dolis & occultis fraudibus: sintque adeo ad regulam ipsiusmet Christi nostri compositi, *simplices quidem sicut columbæ prudentes autem serpentium modo.* Ceu ille in comædia servus, cum herilem filium personatum in meretricias ædes astu deduxisset, *palmarium* credidit, quod reperisset, *quomodo adolescentulus meretricum ingenia & mores posset noscere, mature ut cum cognorit, perpetuo oderit: nosse enim omnia hæc salutem esse adolescentulis.* Et vero si nonnullis

 credi-

credimus, ipsemet Machiavellus periculum veritus, in id Principem suum sic instituit, ut artibus detectis populari odio in Principes commoto, surgenti passim tyrannidi iret obviam. Alberici Gentilis viri utique præcellentis in eam sententiam hæc sunt *l. 3. de Legationib. c. 9.* verba: *Machiavellus Democratia laudator & assertor acerrimus; natus, educatus, honoratus in eo reipubl. statu: tyrannidis summe inimicus. Itaque tyranno non favet. Sui propositi non est tyrannum instruere, sed arcanis ejus palam factis ipsum miseris populis nudum & conspicuum exhibere. An enim tales, quales ipse describit, Principes fuisse plurimos ignoramus? Eccur istiusmodi Principibus molestum est, vivere hominis opera & in luce haberi? Hoc fuit viri omnium prudentissimi consilium, ut sub specie Principalis conditionis populos erudiret. Et eam speciem prætexuit, ut spes esset, cur ferretur ab his qui rerum gubernacula tenent, quasi ipsorum educator ac pædagogus.* Hæc doctissimus Albericus. Eandem fuisse sententiam alterius Itali, illius, nescio cujus, qui librum Pepli titulo publicavit, liquet ex iis quæ inde excerpta suo operi de Scriptoribus in-

serruit

ſeruit Iacobus Gaddus Florentinus. *Scripſit Machiavellus* (inquit) *& de Principe librũ: qui illi ingentem conſtavit invidiam, ut multi eum male de Deo ſenſiſſe, ex ejus praeceptis arguant. Sed juvat commemorare, quid ipſe reſponderit ſe eo nomine arguentibus. Ideo enim impiis praeceptis à ſe imbutos Principes affirmavit, ut qui tum Italiam tyrannice vexabant, ſua inſtitutione deteriores, eo celerius ſcelerum ſuorum pœnas penderent. Fore enim ut, cum ſe penitus vitiis immerſiſſent, ſtatim meritam numinis iram experirentur.* Hæc etiam ille. Cœterum ſerio an non Machiavellus præcepta iſthæc dederit, equidem haud diſputabo, & parum mea nunc refert ſcire. Quicquid ejus fuerit, certum id eſt, ad illam regulam multos Principum res ſuas componere, atque adeo etiam libertatis tuendæ intereſſe pravas illas artes non ignorare. Igitur non eſt, Generoſe Alvenslevi, quod nos vereamur, ne quis tibi vel mihi dicam ſcribat, certe ne id faciat vir bonus ſimul & prudens: ſed poteris tu non minus ſecure oblatum tibi Machiavelli hunc Principem accipere, atque ego illum publicavi. Nec tamen, ceu jam ante dixi, alio illum animo

tibi præcipue nunc offero, quam quod benevolentia tua exigeret à me festinatum aliquod grati affectus testimonium, aliud vero nunc adeo nihil ad manum mihi esset quo id significarem. Simul sane majus otium fuerit, ostendam graviore aliquo scripto, quanto ego affectu venerer Alvenslevium nomen, postquam generosa isthæc familia in clientelarem me meosque fidem recepit. Sed & ea omnibus pietas tua & prudentia innotuit, is etiam est θεοφιλέστατος Princeps tuus cujus arcana consilia moderaris, ut nec suspicio cui oriri possit, promptam illam Machiavellici libri acceptationem ab improborum dogmatum probatione: omnes vero facile intelligant, totum illud ab eo quo me prosequeris favore, profectum esse. Quem ut perpetuum esse velis, etiam te atq; etiam rogo: Deum obsecrans, ut reipubl. bono, nulla non dote felicitatis te quoque & nobilissimam domum tuam instruat beetque. Helmestadij in Acad. Iulia CIↃ IↃ C LX. prid. Kal. April.

BENEVOLO LECTORI
S. P.

QUoniam in hoc libello de Principe caput decimum quintum & vicesimum quintum præcipue laborant improba & honestis piisq; auribus non ferenda doctrina, ne quid vitii det eorum lectio, etiam antequam prodeant mea Politica in libellum integrum Animadversiones, judicavi ex re futurum, quasi in antecessum præmittere, pestilentis doctrinæ, ex illis meis Animadversionibus excerptum, ἀλεξιφάρμακον. Illo sane munitus, poterit, nisi fallor, quamvis imprudentior lector venena hujusmodi, etiam medios inter reipublicæ actus, securo animo, & sine virtutis pietatisq; labe, admittere.

ANIMADVERSIONES
AD CAP. XV.

Pag. 62. l. 9. *Qui sane se virum*) Quæ hoc & sequentibus tribus capitibus de studio virtutis disseruntur, acuerunt in Machiavellum plurimorum linguas & calamos; ita ut nonnulli grandibus voluminibus oppugnandum illum hac in re sibi sumpserint. Quod inprimis fecere Thomas Bozius libris *de imperio virtutis*, & Petrus Ribadeneira opere de *Principe Christiano*. Quoniam tamen ipsa illa prolixitate obscurata magis omnia videntur quam perspicua reddita, nec forte à quoquam satis digne atque ex vero quæ huc faciunt tradita sunt; nos paucis positioni-

bus rem omnem proponemus, ut distincte appareat, quid veritati sit consentaneum vel adversum.

Primum ergo fatendum est: non bonis duntaxat sed malis etiam artibus posse imperia atque adeo Principatus comparari. Hoc sane abunde docent omnium temporum monumenta, & jam tum hoc ipso libello ostensum est facinoribus Agathoclis Syracusani, Oliverotti Firmani, & Cæsaris Borgiæ. Fatendum *secundo* est: quædam imperia, sive quosdam Principatus, non aliter quam per scelera aut inhonestas artes parari posse. Vtpote cum itidem usus doceat, multa imperia absque sceleribus fuisset, oriri non potuisse. Nec vero vel Agathoclis vel Oliverotti vel Borgiæ Principatus, (ut horum exemplis tantum utamur,) fuissent nati, si illi homines solam virtutem vel id quod justum est coluissent. De iis solis verum est, quod ille nimis crude de omni regno affirmat in Thyeste Seneca: *Vbicunque tantum honesta dominanti licent, precario regnatur.* Fatendum *tertio*: etiam quæ injusta atque inhonesta sunt posse interdum ad imperiorum conservationem facere. Id sane est usque adeo manifestum, ut à nemine civilium rerum peritiore in dubium vocari soleat. *Quarto* etiam fatendum: imperia inique parta per solas artes bonas teneri non posse: quod itidem experientia notum est. *Quinto*: solis tamen artibus malis nullum imperium, quamvis scelere etiam partum fuerit, servari potest. Agnovit hoc ipse Machiavellus libri hujus *cap. VIII*; nec obscure etiam illo indicavit, dum passim docet, unicum vel certe præcipuum Principatus præsidium esse amorem populi; dum capite etiam decimo octavo suadet omni Principi, uti det operam, saltim quo appareat vir bonus. At vero non vel amor populi parari, vel quis bonus Princeps videri potest, si perpetuo improbe sese gerat. *Sexto* itidem compertum est usu: imperia quæ per scelera cœperunt, aut inhonestis artibus student res suas tueri, raro esse diuturna; atque adeo inhonestas illas artes non perinde in longum imperiis consulere, plerumque autem vel causam vel occasionem ruinæ præbere. Imperia Agathoclis, Oliverotti

rotti & Cæsaris Borgiæ utique id liquido ostendunt. *Septimo*; quælibet imperia juste parta, (ne iis quidem exceptis quæ utilitatem dominantium primario spectant,) non indigent ad sui conservationem inhonestis consiliis. Absurdum sane fuerit, illud quod naturalis juris consensione est acquisitum, sine ejus læsione servari non posse. Ad hoc si imperia omnia nequeant sine crimine exerceri, par fuisset, omnem imperiorum administrationem lege divina prohiberi: quod tamen factum non est. Ex adverso in Sacro Codice nonnulli Reges & Magistratus ab exacta virtute commendantur; quod profecto haud fuisset factum si nulli Reges sine scelere imperare possint. *Denique* observandum est: nonnulla ad omnem reipublicæ administrationem non utilia duntaxat, sed necessaria etiam esse, quæ tamen in vulgus, imo etiam à nonnullis doctrinæ nomine eminentibus, existimantur ab honesto abire, cum reapse tamen nequaquam sint talia. Habet scilicet in civilibus actibus cumprimis locum illud quod *libro tertio de Officiis* præclare docet Cicero: quod scilicet multa videantur honesta quæ honesta non sunt; quod multa quæ videntur honesta temporibus fiant non honesta; quod denique tempore etiam fiat, ut quod plerumque turpe haberi solet inveniatur non esse turpe.

Hisce omnibus probe expensis, non jam amplius difficile fuerit, quæ à Machiavello proximis hisce quatuor capitibus disferuntur accurate judicare. Et quidem apparet hinc, quod hoc loco dicit Machiavellus, *Principem si salvus esse velit debere etiam non bonum esse*; illud de imperiis juste partis falsum, de solis autem injuste partis verum esse. Quod discrimen cum Machiavellus neque hic neq; alibi observaverit, non est mirum, turpiter illum lapsum esse. Perinde atque etiam illi, qui nullo facto discrimine docent, omnes omnino Principatus solis bonis artibus haberi posse & habendos esse, valde improvide loquuntur.

P. 62. l. 30. *Verum cum nec haberi)* De solis inique partis imperiis hoc ita sese habet, de aliis non item. Pessime igitur

 con-

consulit Machiavellus (non Morali tantum, sed Civili etiam Philosophia spectata) Principibus omnibus, id quod solis illis injustis invasoribus debebat esse proprium.

Pag. 63, l. 8. *Qui virtute creduntur &c.*) Hæc vera quidem sunt: sed hinc minimè consequitur: etiam illa, quæ ab his abeunt apparentibus virtutibus, simul à proprie dictis virtutibus discedere; aut quæcunque proprie dictis virtutibus consentanea sunt, illa esse interdum in qualibet republica revera noxia. Ostendunt vero sequentia tria capita, Machiavellum turpiter ignorasse, quænam vera sint virtutum officia; & hanc ipsius imperitiam videri causam præbuisse improbæ illi doctrinæ Machiavellicæ, qua studium virtutum unicuilibet Principatui noxium esse docetur.

AD CAP. XXV.

Pag. 101. l. 10. Ita rerum hujus mundi) Integrum hoc caput ostendit, Machiavellum agnovisse, quod res humanæ non solum humana prudentia aut viribus humanis gubernentur, sed esse præterea aliud quid perquam validum, à quo rerum illarum prosperitas aut infelicitas suspensa sit. Quam ejus sententiam observare est etiam in Dissertationibus ad Livium ac Florentina Historia clare satis proditam. Pervenit autem ille ad hanc veri agnitionem, non nisi diligente humanarum rerum observatione & ingenii acumine: ut qui revelatæ divinitus doctrinæ impius contemptor fuerit. Hactenus itaque Machiavellus ad veritatem propius accessit, quam factum ab iis, qui nihil non solis humanis consiliis, prudentibus imprudentibus, attribuunt. Cœterum quidnam illud sit quod præter homines humana omnia ita moderatur, & quemadmodum fiat isthæc moderatio, Machiavellum assecutum non esse, luculente cum ex omnibus ejus scriptis aliis, tum ex hoc quoque capite manifestum est. Etenim mentio hic quidem fit Dei, mox tamen adjungitur Fortuna; nec in toto hoc capite ulla amplius Dei fit memoria, sed solius Fortunæ: quasi ex sententia Machia-

velli, Fortuna sit illa humanarum rerum valida moderatrix. Ita & alibi passim inconstanter Machiavellus loquitur: ut satis appareat vel dubium illum fuisse, vel credidisse, Deum & Fortunam unum idemque esse. Est autem hæc disquisitio aliena non ab hoc tantum loco, in quo sola illa quæ ad Principatum spectant veniunt in considerationem, sed etiam ab omni doctrina civili. Politicus siquidem aliunde accipere debet naturam atque essentiam arcanæ illius moderatricis causæ, illa autem accepta demum constituere, quemadmodum in republica omnia illi arcanæ causæ convenienter geri debeant. Agitat vero postremum hoc ex parte Machiavellus hoc capite, itidem tamen alieno loco, utpote cum ad solum Principatum istud non pertineat, sed commune sit omnibus rebuspublicis.

P. 101. l. 22. Altera nostrarum rerum pars) Alteram illam humanarum rerum moderatricem causam Fortunæ vocabulo à Machiavello perperam appellari, (quanquam ita loqui etiam soleant, non prisci tantum gentiles, verum etiam ex vulgo impiorum complures,) argumento certissimo est: quoniam Fortuna reapse non est causa quædam proprie sic dicta rerum ullarum, sed ejusdem plane naturæ cum casu, prout egregie docet Aristoteles *libro secundo Physic. capite quarto.* Ex adverso autem ipse Machiavellus ita differit de Fortunæ illius operationibus, ut appareat, non tantum veram esse causam, sed etiam causam perquam validam, quippe quæ ipso judice sit flumini montano omnia prosternenti similis. Et vero accuratius nonnihil res humanas attendentibus haud difficile est observatu, non casu & fortuito ab occulta illa causa, cui hoc loco Machiavellus partem alteram tribuit regimiuis humanarum rerum, res humanas temperari, sed ceu à quodam certo principio & præpotente multumque majore humanis viribus. Imo vero idem illud intelligendi vi maxima pollere, manifesto elucet cumprimis ex iis, quæ

circa magnas rerumpublicarum mutationes eveniunt plane admiranda. Id certe prodigia & variæ divinationes, mutationibus istis familiaria, usque adeo palam loquuntur, ut ipsummet Machiavellum isthuc fuisse tractum, appareat ex iis quæ disseruit *libro primo dissertatione 56 ad Livium*. Est autem revera nihil aliud causa isthæc summa moderatrix, quam id quod nos divinam providentiam appellamus; ceu alias late & firmis argumentis demonstratur.

P. 101. l. 23. Fortunam sane) Vt circa causæ illius arcanæ rerum humanarum moderatricis naturam graviter aberravit Machiavellus, ita & ipsam regiminis illius divini rationem non perspectam Machiavello fuisse, ex illa quæ hic instituitur comparatione est manifestum. Potest autem accuratior ejus cognitio peti ex diligentiore humanarum rerum consideratione, cumprimis vero ex historia aliisque libris sacri utriusque Testamenti, qui providentiæ divinæ regimen omnium locupletissime nos docent. Cæterum & sine eorum adminiculo res humanas cum cura spectantibus, observare est *primo*; interdum quidem à Deo O. M. res humanas quasi violenter agitari, ita tamen ut vis illa humanis artibus nonnunquam mitigetur, & tum demum habere locum illam à Machiavello institutam Fortunæ cum præcipiti flumine, quod admittit obices sive aggeres, comparationem. *Secundo*: nonnunquam molliter admodum regi omnia, & humanis consiliis plurimum indulgeri licentiæ. *Tertio*: eam interdum vim esse divini regiminis, ut quidquid coneris frustra sis, atque adeo omnia humana consilia sint vana & irrita, inquantum violentiam istam conantur morari aut flectere.

Hæc sane omnia etiam prudentioribus populis divina luce haud instructis fuere saltem magna ex parte cognita. Qui proinde interdum fatalem aliquam necessitatem humanis rebus inesse, interdum vero vim quidem magnam, quæ

tamen

tamen flecti possit, agnoverunt. Est autem diversitatis illius causa non alia, quam multiplex ratio amoris & iræ divinæ; quibus scilicet fit, ut modo nihil, modo aliquid sed difficulter, modo plurimum humanis consiliis possit effici. Quod latius tractare non est hujus loci.

P. 105. l. 4. Fortuna namque fœmina) Perinepte & impie Machiavellus docet rationem temperandi nonnihil impetum divinæ illius causæ, quam ipse falso nomine Fortunam appellat. Nihil sane experientiæ magis adversatur, quam pertinaces ac temerarios actus esse omnium maxime fortunatos. Ex adverso sane, illa quæ circumspecte caute & prudenter geruntur, feliciore plerumque successu excipi, docet rerum usus. Nonnunquam tamen temeritatem esse feliciorem circumspecta cautione, fatemur: sed fieri hoc rarius solet. Est sane ineptissimum dictu, Fortunam esse fœminam, ac proinde fuste quasi urgendam. Quemadmodúm autem Dei benignitas provocari, aut indignatio mitigari, adeoque quomodo felix rerum successus procurari, atque mala averruncari, quam optime possint, si quando se flecti patitur divinum numen, (quod, ceu ante dixi, semper sperare non licet,) longe rectius atque exactius ex sacris codicibus discere est: quibus cum moratiorum quoque gentium consuetudines fere olim consenserunt. Fieri scilicet hæc, cum strenue agendo, tum supplicibus precibus sanctissimum numen placando. Quæ latius exponere, itidem non fert nostrum hoc institutum.

NICOLAI

NICOLAI MACHIAVELLI
PRINCEPS,

Ad Magnificum

LAURENTIUM PETRI F. MEDICEM.

NICOLAUS MACHIAVELLUS Magnifico LAURENTIO PETRI F. MEDICI.



Vicunq; student gratiam Principis alicujus acquirere, solent illi perfrequenter illis eum rebus adire, quæ Principi sunt cariores, aut quibus viderunt maxime eam delectari. Eapropter sane cernere est, Principibus equos, arma, gemmas, similiaque digna illorum auctoritate ornamenta oblata esse. Cum desiderarem itaq; Magnificentiæ Tuæ me offerre cum aliquo obsequii mei erga illam testimonio, in mea sane supellectili inveni nihil, quod mihi quidem sit carius, aut ego faciam maioris, quam notitiam actuum magnorum hominum, longa experientia modernarum, & veterum rerum continua lectione, comparatam. Eam vero magna diligentia diu expensam à me atq; examinatam, & nunc adeo exiguum in libellum redactam, Tuæ Magnificentiæ transmitto. Quanquam enim censeam indignam hanc operam conspectu Tuo, firmiter mihi nihilominus persuadeo, humanitati Tuæ acceptam fore: si præsertim consideraverit, majus donum me Tibi offerre haud posse, quam si potestatem

Tibi faciam, ut brevi temporis spacio percipere illud omne possis, quicquid ego tot annos, cumque tot meis infortuniis & periculis, didici & cognovi. Quem laborem non ornavi aut replevi laciniosis clausulis, aut dictione superba, aut alio aliquo lenocinio & ornamento externo, quibus multi solent res suas describere atque exornare; quoniam placet, ut aut nihil illum decoret, aut duntaxat argumenti veritas gravitasque acceptum faciat. Nolim vero ambitiosum æstimari, quod homo infimæ tenuisque conditionis docere ausit & disponere Principum regimen. Quemadmodum enim regiones delineaturi, ad montium aliorumque editorum locorum naturam considerandam in planitie aliqua solent consistere, ut humilia vero & depressa cognoscant in montibus sese collocant: ita, quo optime cognoscas ingenium populorum, Principem, quo Principum cognoscas naturam, popularem esse Te oportet. Accipiat igitur Magnificentia Tua exiguum hoc munusillo quo ego mitto animo. Quod ipsum si Illa diligenter perpenderit legeritque, compos fiet voti mei, ut perveniat nempe ad eam dignitatem quam fortuna & plurimæ dotes Ipsi pollicentur. Si vero Magnificentia Tua ex culmine Altitudinis Suæ semel oculos dimiserit in hæc loca humilia, percipiet quam ego indigne magnam & continuam fortunæ malignitatem expertus sim.

NICOLAI MACHIAVELLI SECRETARII ET CIVIS FLORENTINI PRINCEPS.

CAPVT I.

Quot sint Principatus formæ, & quibus modis acquirantur.



Væcunque fuit unquam, aut est imperandi ratio, qua homines hominibus dominari consuevere, ea aut *Respublica* aut *Principatus* appellatur.

Principatus, aut sunt hereditarii, quorum majores ejusdem generis diu principatum tenuerunt: aut non sunt. Hique aut prorsus novi, ut Mediolanensis Francisci Sfortiæ: aut veluti pars hereditariæ ditioni Principis occupantis adjuncta; ut regnum Neapolitanum Hispaniarum Regis. Hi sic quæsiti rerum status, assueti sunt vel sub Principe vitam degere, vel immunes sua libertate frui. Acquiruntur vero aut alienis armis, aut proprijs: item vel fortuna, vel virtute.

CAPVT II.

De Printipatibus hereditarijs.

OMittam de Rebuspub. disserere: quia de his alias fusius diximus. Nunc duntaxat orationem ad Principatum convertam, & quæ superius iam orsus eram retexens, qua ratione Principatus hi gubernari ac retineri possint, disputabo.

In ijs igitur imperijs, quæ hereditario jure obveniunt, quæque iam eidem familiæ parere ante didicerunt, minus difficultatis inesse dico, quam in ijs quæ recenter adepti sumus. Satis est enim, ne Princeps suorum majorum instituta transgrédiatur; deinde tempori ad rerum novos casus inserviat. Sic ut, si Princeps hujusmodi communi sit & vulgari solum præditus in agendo industria, semper in Principatu se conservaverit; si hac etiam vulgari careat, & vi summa ex principatu deturbetur, etsi pertinacem habeat invasorem, Principatum tamen recuperet.

Hujus rei nobis in Italia Princeps Ferrariensis exemplo esse potest; qui nullis alijs de causis anno 1484 Venetorum, & 1510 Iulij Pontificis aggressionẽ sustinere potuit, quam quod in eo genere dominatus temporis diuturnitate consenuisset. Hoc evenit, quia qui ipsismet natalibus est Princeps, minus causæ & necessitatis habet, suos ut lædat. Quo fit, ut etiam plus à suis ametur: & nisi extraordinarijs & prævalidis vitijs in odium offensionemque populi incurrat, merito naturali quodam jure à suis diligitur. In ipsa etiam vetustate cohærentis & continuati dominatus obruta jacet memoria omnium mutationum, & causæ conversionum. Semper enim quæ præcessit mutatio, latera ædificij projecta aptaque ad alterius ædificationem adnectendam relinquit.

CAPUT III.

De ijs qui mixti dicuntur Principatibus.

SEd in eo qui novus est Principatus difficultates continentur; tunc maxime, si veluti pars adjuncta (ut sic in universum mixtus dici possit) non penitus est novus. Ejus autem vicissitudines & mutationes ex naturali ea primum

diffi-

difficultate oriri videntur, quæ in unoquoque novo Principatu cernitur. Spe enim meliora consequendi illecti homines, libenter statum rerum præsentium sui Principis mutatum volunt, eaque opinione adducti arma in eum, qui rerum potitur, capere student. Qua in re tamen falluntur maxime. Nam reipsa demum sentiunt in pejora se esse delapsos. Hoc ipsum autem ut fiat, ex alia re quæ item à natura est & vulgata, accidit: quod scilicet novus Princeps, eos ad quorum procurationem est evectus, tum copijs alendis, tum varijs incommodis, & quas nova adoptio secum trahit, infinitis injurijs, semper lædendi, quasi cogatur. Sic sane fit ut etiam eos, quos in occupando imperio prius læseras, infensos habeas, & qui te in illud invexerunt, in amicitia retinere non possis. Etenim quomodo sibi spem animo conceperant, eis sufficere non potes; & quæ acriora fuissent in eos adhibenda remedia, tibi qui eis es devinctus haudquaquam adhibere permittitur. Quamvis enim in copijs munitissimus sit quis & præpotens, provinciam tamen ut aliquam subeat, ope indiget provincialium & favore.

His de caussis Ludovicus Galliarum Rex XII Mediolanum subito occupavit & subito amisit; ac Ludovici Sfortiæ privatæ vires satis superque validæ fuerunt illi eripiendo. Qui enim ut pateret ei ingressus authores fuerant, iidem (quoniam opinione, & futuri boni, quam animo conceperant, spe frustratos se esse intelligerent) novi Principis molestias ferre non potuerunt.

Illud tamen haud obscurum est: populos jam semel ad defectionem prolapsos, ubi iterum sub imperiũ fuerint redacti, majori cum difficultate amitti. Princeps enim defectionis occasione arrepta, liberius sui propugnationem

& de-

& defensionem suscipit, pœnas de defectoribus sumens, suspectos prodens, & debiliora loca sibi muniens. Sic, etsi unius Ludovici Sfortiæ Principis authoritas in confinijs arma strepentis primum satis fuit, ut à Gallo Mediolanense imperium adimeretur; ut tamen deinde iterum auferretur, universo pene orbi fuit in Regem illum conspirandum; & ejus copiæ tum fundendæ, tum ex Italia propulsandæ. Quod sane ijs de causis factum esse constat, quas commemoravimus. Nihilominus semel, atque iterum fuit imperium istud illi ademptum.

Expendimus prioris difficultatis communes causas; nunc reliquum est, ut eas etiam, quæ posterioris sunt, videamus; ac explicemus, quæ remedia & ille habuerit, & si quis nunc in eo statu esset, habere possit; quo melius quam Galliarum rex sese in adepto imperio tueretur.

Ejus generis, inquam, rerum status, qui adsocian-tur avito cuipiam alteri, ejus Principis qui hunc est adeptus, vel sunt ejusdem regionis & ejusdem linguæ vel non. Si primum, facile admodũ fuerit eos retinere, præsertim si eorum vitæ ratio ad libertatem non fuerit assueta. Etenim ut tuto possideantur, satis est, Principis, qui in eos imperiũ tenuit, stirpem extinxisse. Tunc sane cæteris in rebus, modo avitæ leges non immutentur, & morum diversitas absit, quiete sibi vivunt homines. Vti Burgundos, Aremoricos, Aquitanos, & Neustrios, vidimus cum Francia diu consociatos. Etsi enim linguarum inter eos nonnihil discriminis cernitur; facile tamen, moribus & vitæ consuetudine non absimiles, sese in ea re mutuo ferre possunt. Illum sane, qui tales Principatus acquirit, si velit eos retinere, oportet, ut duo observet: primo, ut deleatur veteris eorum Principis sanguis; secundo, ut non muten-

tur e-

tur eorum leges aut vectigalia: utque ita omnino brevi temporis spatio in unum corpus illi concrescant cum Principis principatu antiquo.

Verum quum imperia comparantur in provincia, quæ lingua moribus institutis discrepat, hic adsunt difficultates, hic labores; hic magna felicitate summaque industria, quo retineantur, opus est. Præcipuum vero & vividius remedium est, ut is qui est adeptus, sua præsentia & domicilio illa fulciat. Id enim & securiorem possessionem & diuturniorem effecerit. Quemadmodum Turca ipse in Græcia faciundum censuit. Qui omnibus legibus ad imperium retinendum servatis, non potuisset tamen illud retinere, nisi eo demigrare, atque ibi habitare statuisset. Præsens enim qui est ea quæ perturbate & confuse fiunt cernit, statimq; remedium afferre potest. Si quis vero absit, audit quidē, & certior ille fit de malorum magnitudine, at id eo demum tempore, quum omnis remedii facultas penitus est adempta. Nec Principe præsente ministrorum direptioni unquam exposita erit provincia. Tum quoq; sibi satisfactum putant subacti populi, ubi ad præsentis Principis perfugium proximus eis patet accessus. Eo majorē etiam (si boni viri in Principē esse videri velint) amandi occasionem habent: sin minus, timendi. Si quis porro exterorum hujusmodi Principatum cogitarit invadere, id majori periculo tentabit. Fit denique ut, si ibi maneat Princeps, summa cum difficultate eum sit amissurus. 1.

Alterum, quod huic rei affertur ex præsentioribus remedijs, est: ut in unum aut alterum locum ditionis adeptæ, veluti claves, coloniæ mittantur. Necessarium est enim vel hoc fieri, vel multum & equestrium ibi alere & pedestrium copiarum. In colonias non multum impen- 2.

dit Princeps, & nullo aut exiguo sumptu eas deducit & retinet: eos autem duntaxat offendit, à quibus agros aufert & domos, novis colonis assignandas; qui ad totius ditionis rationem minima pars cum censeantur, dispersi etiam & rerum egentes sint dimissi, nocere non possunt. Reliquorum vero omnium, pars quia jacturæ immunis facile conquiescit: pars verita ne quid stulte committat, timet ne idem sibi accidat quod alijs spoliatis.

Quapropter concludo: colonias, quæ nihil impendij secum ferunt, fideliores esse, minusque lædere: læsos vero sive sedibus suis ejectos, cum sint inopes & vagi, obesse (ut dixi) non posse. Animadvertendum enim est homines aut blanditijs deliniendos esse, aut prorsus extinguendos. Nam qui sunt læsi ulciscuntur leviores injurias, graviores ulcisci nequeunt. Ob id, quæ homini affertur injuria, talis esse debet, quæ vindictam non reformidet.

Sed si coloniarum loco militum copiæ substituantur, majorem in ea re Princeps sumptum faciet, cum in præsidijs omnis proventus illius regionis sit absumendus: sic ut partum quod erat dispendio commutetur. Offenduntur præterea multo plures: nam tota provincia exercitu locando læditur. Quo incommodo non expulsis duntaxat sed etiam cæteris omnibus affectis, in omnium etiam odium & offensionem Princeps incurrit: etiam eorũ scilicet, qui mala perpessi nocendi facultatem (cum domi sint relicti) habent. Omnino iccirco hujusmodi militaria præsidia non æque utilia sunt atque coloniæ.

3. Impotentiorum præterea vicinorum caput & defensorem se constituere Princeps debet, qui hujusmodi provinciam, ut dixi, lingua dissimilem incolit; studereque, ut ij qui in ea sunt potentiores infirmentur.

Tum

Tum caveat, ne ullo rerum eventu exterorum quispiam viribus non minus pollens in eam irrepat. Semper enim usu veniet, ut ab ijs, qui nimia ambitione Principi sunt offensi, eo quis adducatur. Quemadmodum Romani in Græciam inducti olim ab Ætolis; & quamcunque aliam provinciam sunt ingressi, in eam à provincialibus fuerunt inducti. Natura enim ita comparatum est, ut ubi primum alienigena quis potens provinciam aliquam subit, omnes in ea qui minus potentia valent ei statim sese adjungant, odio quodam nimirum in eum adducti, quem se potentiorem hactenus sunt experti. Sic ut ad tenuiores minus sit laborandum, ut eos in suas quis parteis trahat: nam cum parto imperio universi statim libenter & ultro coeunt. Id ei duntaxat cogitandum est, ne quis externus majores capiat vires & autoritatē: sua namq; vi, atque eorum studio facile Principem deprimere potest eâ qui potentia valet, ut prorsus arbiter totius provinciæ evadat. Quisquis hanc partem non commode tractat, quod fuerat adeptus totum perdit: quamdiu vero retinet infinitis difficultatibus ac molestijs laborat.

Romani sane in provincijs subactis probe observarunt has partes: colonijs deductis, debilioribus servatis, potentia pollentibus dejectis, nulla dignatione autoritateve exteris præpotentibus ibi permissa.

Vnico Græciæ exemplo contentus ero. Achæi atque Ætoli fuerunt ab eis servati. Macedonum regnum, dejecto Antiocho, attritum. Nec merita Achæorum vel Ætolorum unquam effecerunt, ut aliqua ipsis imperij fieret accessio. Nec Philippi suasionibus adduci potuerunt, ut eum non dejectum in amicitiam reciperent. Nec Antio-

chi potentia fuerunt inducti, ut suo consensu aliquam in ea provincia potestatem haberet.

In his sane occasionibus id Romani egerunt, quod facere debent prudentes omnes Principes, qui non modo præsentes lapsus cernunt, sed & futura prospiciunt, illisque omni industria occurrunt. Longe namq; si prævideantur, facile aliquo remedio præcaveri possunt: verum, si donec te propius appetant cuncteris, nulla (morbo incurabili jam facto) opportuna curatione sanantur. Accidit autem in hac re quod in hectica febri ajunt medici. Vbi scilicet primum aliquem init, facilem esse curatu sed cognitu difficilem: progressu vero temporis si non percepta sit nec curata, facilem esse cognitu at curatu perdifficilem. Sic in rebus imperij, si in posterum quam longissime prospiciantur (quod non nisi prudenti viro conceditur) quæ in eo oriuntur incommoda, illis expedita patebit curatio: verum ea non intellecta si crescere permittantur donec omnibus perspecta pateant, nullus amplius est illis medendi locus.

Quare Romani inposterum longe prospicientes adversos casus, semper remedia adhibuerunt, nec unquam passi sunt belli vitandi causa ea evenire. Sciebant enim ita non submoveri bella, sed potius cum aliorum accessione differri. Propterea sane bellum cum Philippo & Antiocho in Græcia gesserunt, ne quid in Italia cum illis esset agendum. Potuissent sane tunc temporis utrumque vitare; tamen noluerunt. Nec id unquam probatum est illis, quod omnium nostri temporis sapientum ore effertur, *temporis liberalitate fruendum esse*; sed contrarium: quod erat ipsorum propriæ & virtutis & prudentiæ. Tempus enim omnia præ se agit; æque bonum ac malum; & malum æque ac bonum secum ferre potest.

Ve-

Verum redeat oratio unde digressa est ad Galliam; & nunquid ex his, quæ dicta sunt, aliquid præstiterit, examinemus. Ne, quid Carolus & ipse Galliæ Rex egerit, dicam, tantum de Ludovico loquar, cujus consiliorum rationes, cum diuturniorem ille possessionem in Italia retinuerit, melius perspici potuerunt. Tunc facile quis intelliget, eum quæcunque agenda erant ad retinendum imperium, quod linguæ dissimilitudine discrepabat, neglexisse, diversumque abijsse. Rex Ludovicus fuerat in Italiam invectus ambitione Venetorum, qui eo adventu dimidiam Cisalpinæ Galliæ possessionem sibi sumere voluerunt. Hunc accessum ejusque consilij rationem improbare nolim. Nam cum in Italiam pedem inferendi initium facere vellet, nec in ea provincia ullos haberet amicos, imo ex ratione rerum gestarum Caroli Regis præclusas sibi omnes cerneret vias; quas potuit amicitias coactus est comparare. Et brevi utique ex voto cecidisset consilium, si in reliquarum administratione rerum non errasset. Parta itaque Cisalpina Gallia Rex ille statim eam existimationem & dignitatem recuperavit, quam Carolus sibi detraxerat. Genua cesserat: Florentini in ejus amicitiam venerant: Mantuanus & Ferratiensis principes, Forilivij domina, Bentivolus item, Faventiæ, Arimini, Pisauri, Camertium, & Trajani portus reguli, Lucenses quoque, Pisani, Senenses, hi omnes obviam ei processerant, in ejus amicitia futuri. Tunc Veneti sui consilij temeritatem facile perspicere potuerunt; qui ut duas in Cisalpina Gallia urbes sibi adjungerent, regem majoris Italiæ partis dominum constituerunt.

Nunc igitur animo quis perpendat, quam potuisset minimo labore suam Rex dignitatem in Italia retinere, si quas

si quas supra posuimus administrandi leges servasset, & quos habebat amicos securos reddidisset defensosque. Hi sane numerosiores & imbecilles cum essent, pertimescentes nonnulli Pontificem alij Venetos, cogebantur perpetuo ab ipso stare; eorumque opera facile ab illis, qui potentiores reliquis erant, poterat Rex securum se reddere. Verum ipse ubi primum Mediolanum venit, his contrarium egit, Alexandro pontifice à se ut Flaminiam occuparet adjuto. Nec animo præsenserat, hoc consilio, sublatis amicis & ijs qui in illius sinum confugerant, se debilem, Pontifices autem, illa rerum temporalium ad jurisdictionem sacram, (qua tanta eis defertur authoritas) accessione, maxime potentes futuros. Atque hoc commisso primo errore pergere coactus fuit usque adeo, ut ad finem ponendum ambitioni Alexandri, ne ille totius Etruriæ dominus fieret, in Italiam sibi contendendum fuerit. Nec satis habuit Pontifices potentes reddidisse, atq; amicos ab se alienasse; nisi etiam regnum Neapolitanum à se expetitum cum Hispaniarum rege partitus esset. Arbiter enim totius Italiæ primò cum esset, socium sibi adhibuit, ut illius provinciæ viri ambitiosi & sibi offensi haberent quo confugerent. Adhæc cum tributarium quempiam regem in eo regno relinquere posset, ipse eum expulit, altero invecto, qui seipsum inde deturbare posset. Res sane è natura est maxime, maximeque pervulgata, velle acquirere: idque homines cum faciunt modo possint datur eis laudi, vel saltem vitio non vertitur. At quum non possunt & in id tamen incumbunt, error est & meretur vituperium. Si Gallia suis viribus Neapolim invadere poterat, id faciendum erat: sin minus, non erat illud regnum dividendum. Si sane Lombar-

bardiæ cum Venetis facta distributio, quod per eos in Italiam pedem Rex intulisset, excusationem meruit; hæc divisio quoniam necessitate nulla excusatur, merito culpanda est.

Prolapsus itaque fuit in hos quinque errores Ludovicus: debiliores extinxit, potentioris potentiam in Italia auxit, exterum potentissimum in eam adduxit, colonias non deduxit, isthuc non demigravit ad habitandum. Qui errores poterant eo superstite non lædere, nisi & sextum peccasset peccatum, à Venetis imperium auferendo. Nam si Pontifices non evexisset, nec Hispanos in Italiam adduxisset, Venetos deprimere necesse fuisset: verum susceptis quæ primum intenderat consilijs, non debuerat ipse in eorum ruinam consentire. Nam quum illi potentes essent facile reliquos omnes à Cisalpinæ Galliæ impetitione avertissent: tum quod Venetorum ad id habuissent (nullo ibi quæsito ab illis imperio) assensum: tum quod reliqui omnes à Gallis eam provinciam non ademissent, illis predituri. Vt autem utrique in eos impetum facerent, non satis habuissent animi. Si quis vero dicat, regem Ludovicum Flaminiam Alexandro, Hispanis vero Regnum Neapolitanum, vitandi belli ergò cessisse; respondebo attentis rationibus supra dictis: non esse quod quis confusa facta permittat evenire quo bellum refugiat: non enim vitatur, sed tuo magno malo differtur. Si qui præterea afferant, Pontifici datam fidem à rege, de ea expeditione in ejus gratiam facienda, quo suum matrimonium, & Rotomagensis galerus statueretur: respondebo illis eo in loco, ubi de Principum fide & illius observatione infra sum tractaturus.

Amisit igitur Cisalpinam Galliam Ludovicus rex, quia non

non observavit quæ prudentiores alij in adjungendis sibi provincijs eisque retinendis egerunt. Nec proinde miraculo hoc factum fuit, sed modo rationi maxime consentaneo maximeq; pervulgato. De hac autem materia colloquutus sum Condivinci sive Nantibus cũ Rotomagensi Cardinale, quando Dux Valentinus (hoc enim nominis erat Cæsari Borgiæ Alexandri Pontificis filio) Flaminiam occuparet. Italos enim asserenti Cardinali belli imperitos esse; Gallos, respondi, regnandi rationem non tenere: ea enim ab eis si probe fuisset intellecta, Ecclesiæ Romanæ potentiam ad eam magnitudinem non sivissent evehi. Et sane experientia patuit, & illam, & Hispanorum in Italia potentiam, à Gallia esse profectam: hujusque casum ab illis sic evectis natum esse.

Ex quibus generalis elicitur sententia minime fallax: AVTHOREM ALIENAE POTENTIAE SEIPSVM PERDERE. Et vero eam potentiam aut industria aut vi ipse author protulit; quarum utramque is suspectam habeat, qui aliquo jam processit potentiæ.

CAPVT IV.

Cur Darij regnum ab Alexandro occupatum, à successoribus post ejus mortem non defecit.

ADmiratione quis duci possit, perspectis difficultatibus quæ adesse solent quo nuper partum imperium retineatur; quî factum fuerit, ut Alexander Asiam paucos intra annos occupaverit, etsi vix illo occupato diem obierit. Cum nimirum merito videri poterat, totum illud imperium iterum defecturum, tamen ejus successores sibi illud conservarunt, nec ulla alia difficultate ad illud tuendum laborarunt, quam quæ inter

ipsos,

ipsosmet, præcipue, ex propria ambitione, orta fuit.

Respondeo autem. Principatus, quorum memoria extat, duplici eaque diversa ratione administtatos inveniri. Aut unius Principis arbitratu, cujus gratia & permissu reliqui omnes, qui conditione sunt servi, ad regni procurationem veluti administri opem ferunt. Aut Principis simul & procerum, qui non gratia Domini, sed sanguinis vetustate illum gradum obtinent. Quales proceres ditiones habent, & sibi subjectos proprios populos, qui eos dominos agnoscunt, & quodam naturali erga eos afficiuntur amore. Qui unius Principis ductu servorumque ministerio reguntur Principatus, illis Princeps præest majori cum auctoritate: neminem enim habet in tota sua provincia, qui præter illum superiorem alium agnoscat, & si quis alij paret, id tanquam administro adscriptioque facit, nec huic ullo peculiari amore affectus est.

Horum duorum regna procurandi generum exempla hoc nostro tempore præbent Turca & Galliarum rex. Turcæ tota monarchia unius principis nutu regitur, cæteri ipsius sunt servi: atque inter Sangiacchos distributo ipsius regno, diversos ille constituit administratores, eosque pro animi voluntate abrogat subrogatque. Verum Galliarum rex positus est in medio antiquæ multitudinis Dominorum, quos agnoscunt populi eis subjecti & benevolentia complectuntur, quiq; habent suam dignitatem, quam ab eis Rex sine periculo auferre non potest.

Quocirca utrumque ejus generis statum qui animo reputaverit, is Turcæ imperiũ occupatu difficile offendet, sed eo devicto nullam superesse difficultatem ut retineatur.

Difficultatum causæ, quo minus Turcæ imperium occupari possit, in eo vertuntur: quod qui illud occupare molitur,

tur, haud potest à proceribus illius regni eò vocari, nec in spem adduci, quod eorum qui illum circumstant defectione incepta occupatio sit facilis futura. Quod ex his, quas attigi superius, rationibus proficiscitur. Nam quum omnes sint ejus mancipia eique devincti, multo difficilius corrumpi possunt: & si corrumpantur, parum inde tamen utilitatis sperari possit, cum ipsi, ob allatas superius rationes, populos secum trahere non possint. Quapropter Turcam impetituro cogitandum est, illum se bene unitum esse inventurum, & magis proprijs viribus quam aliorum studijs & seditionibus superandum. Eo autem superato acieque fuso, sic ut exercitum reficere nequeat, nihil est quod præter Principis stirpem sit præterea timendum. Qua extincta, nemo superest (cæteris apud populos fide & auctoritate carentibus) quem timeat reliquus. Et quemadmodum ante partam victoriam, nullam in iis sibi asciscendis poterat victor spem collocare; ita post illam non est quod amplius illos reformidet.

His contrarium accidit in regnis quæ modo regni Galliarum reguntur. Facilis enim tibi, asciscenti aliquem ex Baronibus regni, patebit in illa accessus. In eis enim nunquam non inveniuntur, qui animo offensi res novas moliri studeant. Hi ob eas, quas supra diximus, rationes, ad illud regnum viam tibi aperire, atque victoriam expeditiorem reddere possunt. Verumtamen ad illam postea tuendam difficultates supersunt pene infinitæ: non modo cum eis qui tibi fuerunt auxilio, verum & cum illis quos oppressisti. Nec vero satis est Principis sanguinem extinxisse. Supersunt enim proceres, qui novorum motuum authores sese constituunt; quorum desiderijs quum satisfacere non possis, nec eos extinguere, quandocunq; sese occasio

casio obtulerit, amittis statum occupatum.

Nunc si spectes quo in genere administrationum fuerit Darij regnum, Turcæ regno admodum simile illud invenies. Hac de causa Alexandrũ primo oportuit in Darium totum impetum facere, eumque castris exuere. A qua victoria, mortuo jam Dario, securum illud imperium, propter eas quas supra adduximus causas, Alexandro cessit. Successores sane ejus, si concordes fuissent, plane otiosi eo frui poterant: quia nihil tumultus in eo subortum est, præterquam quod ipsimet inter se excitarunt.

Verum quæ instar Gallici regni constituta sunt imperia, illa fieri non potest ut tam pacate possideantur. Crebræ sane Hispaniæ, Galliæ, & Græciæ à Romanis defectiones ortæ ideo sunt, quia frequentiores erant in illis principum ditiones. Quarum memoria quamdiu viguit, de earum possessione Romani semper incerti fuerunt: at potentia & diuturnitate imperij deleta earum recordatione, securam possessionem denique nacti sunt. Etiam deinde, prout quisque illorum sibi in partis provincijs pepererat authoritatem, cum inter se etiam bellum gererent, illarum quoque partem secum trahere potuerunt: idque propterea, quod veterum Principum sublata stirpe præter Romanos agnoscerent neminem.

His itaque perspectis, nihil mirabile habet Alexandri in retinendo Asiæ imperio facilitas: neque difficultas, quam complures Principes experti sunt (ut Pyrrhus & alij multi) in retinendo quod erat partum. Id enim non victoris aliqua exigua vel summa virtute evenit, sed pro rei subjectæ dissimilitudine & varietate.

CAPUT V.

Quomodo civitates aut principatus regi debeant, qui cum occuparentur suis legibus & in libertate vivebant.

PArtum aliquem dominatũ, si is consueverit libere vivere & suis legibus, ut retineas, triplex est modus. Primus, ut illum penitus evertas. Alter, ut isthuc ipse demigres habitatum. Postremus, ut suis legibus & libertate, annuam duntaxat pensionem exigens, sinas illum vivere, paucorum ibi dominatu tibi amico constituto. Hic sane dominatus cum à Principe sit ibi locatus, novit sine ejus amicitia & potentia se non posse consistere, obnixeque omnia propterea sibi facienda existimabit quo illum Principi tueatur. Et vero facilius civitatem libere vivere assuetam tenebis auxilio suorummet civium, quam si ullo alio modo velis servare. * * * *

Spartani atque Romani exemplo nobis esse possunt. Athenas Spartani obtinuerunt, & Thebas: ibique paucorum dominatu constituto, amiserunt tamen. Romani ut Capuam, Carthaginem, & Numantiam tenerent, deleverunt; nec amisere. Græciam fere ad Spartanorum modum retinere voluerunt, non abrogatis ejus legibus, at eorum votis non respondit: sic, ut ad eam retinendam coacti sint multas in ea provincia urbes evertere.

Quocirca nullus modus tutior est, illos secure possidendi, quam eversio. In cujus sane potestatē venit civitas assueta libere vivere, si illam ipse non everterit, illam se eversuram expectet. Semper enim factio rebellis habet, quo confugiat; ad nomen scil. libertatis & suos illos priscos ordines,

nes, quæ nec temporis diuturnitate, nec beneficiorum collatione unquam oblivioni tradi possunt. Et quicquid feceris, quicquid prospexeris; non distractis ac dissipatis habitatoribus, nunquam illud libertatis nomen institutaque ex eorum animis excidunt, sed ad omnem rerum eventum subito eo reditur. Veluti à Pisanis post tot annos à servitute illa, in quam Florentini eos adegerant, factum vidimus.

Verum civitates aut provincias, quæ sub Principe, cujus stirps tota perierit, parere assuetæ liberam vivendi rationem non norunt, quoniam ad arma capienda tardiores sunt, has facilius Princeps sibi conciliare, & ab eis se securiorem reddere potest. Partim enim obedire consueverunt; partim amisso veteri Principe, in ejus locum quem alium sufficiant, inter se non inveniunt.

At in Republica libera, odium est majus, major vindictæ cupiditas: nec veteris illius libertatis memoria sinit, aut eas sinere potest, ut conquiescant. Ita ut securissima sit ratio, aut exscindere illam aut inhabitare.

CAPUT VI.

De novo Principatu, qui propriis armis & virtute acquiritur.

NE quem capiat admiratio, si ad eam quā sum de Principatu prorsus novo instituturus orationem, illustria cum principum tum principatuum proferam exempla. Cum enim homines aliorum pervagatis vijs ingrediantur, & imitando in suis actionibus procedant, nec prorsus tamē aliorum vias tenere, aut quorum imitaris virtutem consequi possis; viri prudentis est, semper præstantium virorum iter ingredi, & eos qui maxime excelluerunt imi-

tari; ut, si virtus propria eo non accedit, aliquid saltem odoris affletur. Prudentium sagittariorum exemplo, qui quod feriendum intendunt longius esse conjectantes, suique arcus vi quousque feriat cognita, altius sibi scopum proponunt quam est meta destinata: non quo ad tantam altitudinem suo robore aut sagitta impellant, sed ut ductu altioris scopi isthuc quo collimarunt pervenire possint.

Principatum propterea omnino novum, qui in ditionē novi Principis concessit, plus minusve cum difficultatibus ad sui conservationem conflictari dico, prout qui illum est adeptus plus minusve virtute est præditus. Et quoniam talis rei eventus, quo quis ex privata conditione ad Principatum erigitur, præsupponit Virtutē quandam, aut Fortunam; utrâque harum duarum nonnihil istæ difficultates, quibus afficiuntur, mitigari videntur. Qui tamē minus Fortunæ inhæret favori, is diutius sese in Principatu conservaverit. Parit etiam expeditiorem facultatem, quod talis Princeps cum alibi ditionem nullam habeat, adigatur, ut eo demigret præsensque ibi habitet.

Verum ut ad eos, qui non Fortuna, sed propria virtute in Principes sunt evecti, veniamus; excellentiores dico fuisse, Mosen, Cyrum, Romulum, Theseum, & id generis alios. Etsi de Mose non est quod loquamur, ut qui duntaxat eorum, quæ sibi divinitus fuerunt à Deo præscripta, merus fuerit exequutor. Tantum sane ob eam gratiam, qua Dei colloquio dignus habitus est, meretur admirationem.

At Cyrum & reliquos, qui regna sibi pepererunt & constituerunt, si quis consideret, omnes admiratione dignos inveniet. Si etiam considerentur eorum actiones & singu-

singularia instituta, nõ dissimilia apparebunt Mosi, etsi huic magnus contigit præceptor. Cæterũ eorum rebus gestis & vita perpensis, à Fortuna nihil quã occasionẽ iis fuisse oblatam videre erit; quæ occasio facultatem ipsis præbuerit, quo eam formam inducerent, quam sibi fore aptam judicarunt. Abs illa occasione si sane fuisset, eorum animi virtus extincta jacuisset: ut & sine tali virtute occasio frustra sese obtulisset. Necessarium itaque Mosi fuit, Israeliticum populum mancipem in Ægypto teneri, & ab Ægyptijs opprimi, ut duro servitio si levari vellent ad Mosen sequendum essent animo jam affecti. Peropportunum fuit Romulum Alba non capi, & recentem à partu exponi, quo Romanus Rex fieret, & tantæ civitatis conditor. Cyrum, necesse fuit Persas Medorum imperio infensos, Medosque ipsos diutina pace & otio molles atq; effœminatos, offendisse. Exercere animi sui virtutem Theseo non dabatur, nisi vagos dispersosque Athenienses invenisset. Tales igitur Occasiones hos viros felices effecerunt: ipsaque Occasio eorum animi præstanti virute fuit perspecta & cognita: ut & horum patria hinc tum nominis amplitudinem, tum summam felicitatem sit consequuta.

Qui horum exemplo virtutis ductu in Principes evehuntur, acquirunt quidem Principatum cum difficultate, sed retinent facile. Et difficultates quidem, quas patiuntur in acquirendo Principatu, ex novarum legum & constitutionum sanctione aliqua ex parte oriuntur: quarum inducendarum Principibus necessitas imponitur, quo eorum status & securitas firmetur. Considerandum sane est, nihil difficilius tractatu, nihil incertius obtentu, nihil periculosius servatu, quam inducendarum legum novarũ sese authorem facere. Qui enim primus eas sancit, infen-

infensos omnes habet eos qui ex antiquis institutis commoda capiunt: & frigidos defensores illos etiã quibus novæ constitutiones sunt usui. Qui tepor nascitur tum adversariorum metu, quibus leges beneficæ non sunt: tum ex hominum incredulitate, qui novæ rei fidem non habent, nisi firmam experientiam inde profectam videant. Hinc ortum habet, ut quoties adversarijs invadendi occasio sese offert, id hi factiose agant, illi vero frigide defensionem suscipiant; sic, ut simul omnes periclitentur.

Necessarium est idcirco, si probe hanc partem discussam volumus, examinare, an isti novi legum conditores seipsis tantum nitantur, an ex alijs pendeant: id est, an possint quod instituunt sua opera effectum reddere, an alios rogare sit opus, ut & an possint cogere. Si primum, nunquam non pessum eunt, nec quicquam ad effectum deducunt. Verum quando à seipsis pendent atque cogere possunt, tunc raro periclitantur. Hinc factum est, quod omnes Prophetæ armis instructi victoriam reportaverint, inermes perierint. Idque præter caussam allatam etiam ideo, quia populi ingenium est varium & inconstans, & ut aliquid illi persuadeatur nihil est negotij, at in recepta persuasione ut contineatur difficile est. Propterea ita instructum esse te oportet, ut si non credant, vi possis eos cogere ut credant. Sanè Moses, Cyrus, Theseus, Romulus, inermes sua constituta tamdiu servanda curare non potuissent. Vti nostra tempestate Fratri Hyeronymo Savonarolæ accidit, qui statim perijt cum suis novis institutis, simul multitudo desijt illi credere; cum ipse scil. non haberet quo illam in accepta fide retineret, nec nondum credentes vi cogere posset ad credendum.

Quapropter hujusmodi hominum conatus, cum maximis

ximis conflictantur difficultatibus, eorum vero pericula in via occurrunt atque animi virtute sunt superanda. Verum illis exantlatis, ubi veneratione digni haberi cœperunt, extinctis tandem ijs qui ipsorum dotibus invidebant, homines illi potentes permanent, omni periculo vacui honorati & felices. His tam sublimibus exemplis unum humilius adijciam, sed quod cum illis sit proportionem habiturum. Id erit Hieron Syracusanus. Is ex privato Syracusarum Princeps factus fuit, nec quicquam tàmen habuit, quod fortunæ acceptum ferret, præter Occasionem. Syracusani enim oppressi ducem illum crearunt; id causam attulit, ut mereretur eorum decerni Princeps. Ita autem in privata adhuc vita virtute excelluit, ut qui de eo scripserunt, nihil ad regnandum tum illi defuisse præter regnum asserant. Hic veterem militiam abolevit, novam instituit: antiquas amicitias deseruit, novas complexus est: atque ubi & amicitiam & militum manum se habere in potestate cognovit, potuit his jactis fundamentis quicquid vellet superstruere. Sic ut acquisitio magno, possessio nullo ei steterit labore.

CAPUT VII.

De novis Principatibus, qui alienis viribus & fortuna acquisiti sunt.

QVi Fortunæ duntaxat afflatu ex privata conditione Principes evadunt, illi nullo isthuc labore perveniũt, at plurimo negotio sese in Principatu sustinent. In ipso autẽ ingressu nullam incurrunt difficultatem, quandoquidem eo advolant: at ubi assederint, tunc & laboris & negotij multum nascitur. Hi sane sunt, quibus aut pecunia, aut donantis cujuspiam liberalitate, aliquis obvenerit Status

reipubl. Uti compluribus in Græcia, in Ioniæ & Hellesponti civitatibus, accidit: Ubi Darius ad suam ipsius salutem & gloriam multos donasse principatu constat. Quo etiam modo quidam Imperatores olim, per sordes militibus corruptis, ad Imperij procurationem erigebantur.

Hi sane ex eorum arbitrio & fortuna simpliciter pendent, qui eos in eum honoris gradum adduxerunt. Utrumque autem res est plane per quam volubilis & inconstans. Nec enim illum gradum tenere, aut sciunt, aut possunt. Non sciunt: quandoquidē nisi quis summo ingenio summaq; virtute sit præditus, si privata fortuna semper vixerit, verisimile non est, quod imperare sciat. Non possunt: quia viribus, quæ amicæ sint & fideles, penitus caret. Ad hæc, illi Status, qui repente & subito erumpunt, (uti naturæ cætera omnia, quæ repentino quodam ortu & incremento fiunt) nec radices agere, nec quæ ei respondeant habere possunt; ac proinde primo quoque adverso tempore extinguuntur. Nisi jam, ut dictum est, illi qui ita subito in Principes sunt elati, tanta virtute excellant, ut statim norint id quod Fortuna sibi in sinum demisit tueri ac tenere, quæque alij ante delatum Principatum fundamenta posuerunt, ea ipsi postea curent jacienda. In hunc duplicem modum, quo quis Fortuna aut Virtute Princeps evadit, duplex exemplum memoriæ nostræ temporibus excerptum, proferam: Franciscum Sfortiam scilicet, & Cæsarem Borgiam.

Franciscus omnibus modis ad eam rem idoneis, summaque virtute, è privata conditione ad Mediolanensem Ducatum pervenit; quodque mille curis fuerat adeptus minimo negotio tenuit. Ex altera parte Cæsar Borgia (cu

vulgo

vulgo cognomē Duci Valentino fuit) acquisiverat Statum suum per fortunam Patris, cumque eadem illa perijt: etsi ipsemet omnem operam adhibuisset, & ea omnia curasset facienda, quæ â prudenti ac virtuoso viro expectari poterant, ut in ijs ditionibus, quas aliena & arma & fortuna concesserant, radices figeret. Qui enim prima (ut dictum est) fundamenta non ponit, ille potest (licet non sine architecti incommodo & ædificij discrimine) singulari quadam virtute inposterum jacere. Si itaque Ducis Valentini progressus omnes considerentur, facile perspicietur, quam ille firma ad futuram potentiam fundamenta substruxerit. Quæ nequaquam arbitror supervacaneum examinare: quia quænam meliora novo Principi præcepta tradi possint, quam ejus actionum exempla, equidem non video. Si sane ejus dispositio rerum nihil adjumenti ipsi attulit, id non ejus culpa accidit, sed extraordinaria quadam & extrema fortunæ malignitate.

Alexander Sextus cum magnum Ducem efficere filium suum vellet, tum præsentibus tum futuris difficultatibus distinebatur. Primum non videbat, qua ratione ille aliquo Principatu, qui Pontificiæ jurisdictioni non subesset, ornari augerique posset: si vero ad ea quæ Pontificij juris essent surripienda se converteret, sciebat, nec Ducem Mediolanensem nec Venetos id esse passuros: quoniam Faventia, atque Ariminum in Venetorum ditionem jam concesserant. Perspiciebat præterea Italiæ arma, & quæ privatim suis commodis subservire poterant, in eorum manu esse, quibus Papalis potentia formidabilis erat, quibusque proinde non poterat fidere: in Vrsinorum nempe, & Columniorum familijs, nec non eorum sectatorum, posita. Turbandi propterea fuerunt ordines

illi, atque Italicæ res confundendæ, quo aliquarum partium in ea provincia dominus fieret. Quod quidem factu facile fuit. Reperit enim Venetos, qui alijs de causis impulsi volebant ut Galli in Italiam iterum transmitterent. Quod tantum abfuit ut Alexander sit aversatus, ut constitutione matrimonij Ludovici regis perfacile reddiderit. Auxilio itaque Venetorum atque Alexandri consensu Rex Italiam repetijt: nec Valentinus prius Mediolanum appulit, quam ad Flaminiam expugnandam, authoritate regia Papæ adjudicatam, copias ab Rege obtinuit. Partademum Flaminia, Columnijsque attritis, cupientem Valentinum illam tueri atque ad majora progredi, duo turbarunt: tum propria arma quæ infida judicavit, tum Galliarum regis dubia voluntas. Timuit nimirum Vrsinorum arma, quibus hactenus usus erat, ne subtraherentur: nec solũ impedirent quod sibi adjungere moliebatur, sed & quod erat partum auferrent. Regem quoque ipsum ne idem faceret fuit veritus. De Vrsinis jam specimen ceperat, cum expugnata Faventia Bononiam est adortus: tunc enim illos frigide se gerere conspexit. Porro quid animi esset Regi jam senserat, cum Vrbinatium Principatu occupato Etruriam invaserat: à quo incepto Rex eum revocavit. Hac de causa Dux Valentinus constituit, non amplius à Fortuna aut ab armis alienis sibi esse pendendum. Quocirca Vrsinorum ac Columniorum partes Romæ attrivit. Nam omnes qui illis adhærebant nobiles Romanos, uberioribus stipendijs ac rerum gerendarum munijs pro cujusque conditione datis, suos reddidit; ut paucis interjectis mensibus illa animi eorum propensio erga partes refixerit, totaque ad Valentinum sese converterit. Ad hæc occasionem, qua Vrsinos perderet,

(Colum-

(Columnijs jam dispersis) expectavit. Qua feliciter oblata felicius in rem suam est usus. Cognito namque sed sero ab Vrsinis, Valentini atque Ecclesiæ Romanæ potentiam sibi excidio fore, conventum Magione in agro Perusino indixerunt. Quæ res Vrbinatium defectionem, Flaminiæ tumultum, ipsi vero Principi Valentino infinita excitavit pericula. Quæ omnia Gallorum auxilio superavit. Verum recuperata existimatione, Galliæ exterorumque diffisus opibus, ne amplius illas experiri cogeretur, totus ad fallacias fraudesque se convertit: ac usque adeo animum simulatum ostentavit, ut Vrsini secum, authore Domino Paulo, in gratiam redierint. Erga quem Paulum nullum officiorum, nullum necessitudinis genus, quibus illum securum redderet, omisit; vestibus, pecunia, equis donatis. Donec eorum imperita simplicitas in illius potestatem eos Senogalliam attraxit. His igitur primarijs captis & occisis, eorumque sectatoribus in suam amicitiam adductis, satis firma fundamenta jam ad potentiam struxerat. Flaminia nimirum ocupata: Urbinatium Principatu subacto: eorumque populis, quod nonnihil felicioris status (ut iis videbatur) degustassent, ad suam amicitiam adjunctis.

Et quoniam hic locus dignus est, quem quis noverit ac imitetur, prætermissum nolim. Postquam Valentinus Flaminiæ rerum est potitus, eamque offendisset teneri â nonnullis Dominis tenuioribus, quique subditos populos spoliaverant potius quàm emendaverant, discordiis præterea quam concordiæ majorem præbuerant licentiam, ut jam tota provincia latrocinijs, rixis, & omnis insolentiæ genere referta esset; judicavit aliquem ibi legitimum reipubl. statum constituendum, quo

illam

illam pacatam regiæque potentiæ morigeram redderet. Ob id Remerum Orcum virum crudelem ac promptum cum summa potestate illi præfecit. Hic brevi tempore provinciæ tranquillitatem concordiamque summa cum existimatione restituit. At vero visum est Duci in rem non esse immodicam illam præfecti authoritatem. Timebat enim ne illa in odium incurreret. Ea de causa in media provincia judicium quoddam rerum civilium constituit, cui juris & usus fori peritissimus præesset aliquis: quove in loco singulæ totius provinciæ civitates suum haberent advocatum & causarum actorem. Cum autem severitatem illam nonnihil odij sibi conflasse animadverteret, ut illud ex animis multitudinis detergeret, seque purgaret, atque in primis omnes sui studiosos efficeret, ostendit, si quid sævitiæ in provincia fuerat admissum id non se authore, sed ministri acerbiore ingenio fuisse factum. Atque ad hanc rem occasione arrepta judicem illum in duas parteis discissum, summo quodam mane, frusto ligni ac cruento gladio ad ejus latus aptato, in Cæsennatium medio foro deponendum curavit. Ferum istud spectaculum momento temporis effecit, ut populi sibi satisfactum esse putarent, & in stuporem verterentur.

Verum ut eo redeat oratio unde digressa est. Dux ille cum se satis magna potentia auctum cerneret, & periculis præsentibus (quod ex animi sententia probe armis sese instruxisset, & quæ proxime sibi nocitura videbantur extincta jacerent) aliqua ex parte liberatum, reliquus erat (si cũ his quæ sibi partæ jam erant opes ad majora progredi vellet) qui habebatur ad Gallos respectus. Animadvertebat enim, Regem, qui sero erratum suum agnoverat,

rat, id non concessurum. Novas idcirco amicitias comparavit: sub Gallorum adventum in regnum Neapolitanum contra Hispanos, qui tunc Caietam obsidione premebant, cum Gallis vacillavit: ac illud animo suo versavit, quo pacto se tutum ab illis præstaret. Quod sane ex voto cecidisset, si Alexander vitam cum morte non commutasset.

Hæc ad res præsentes fuerunt tnm ejus consilia & administrandi rationes. Quæ vero ad futuras spectabant, illud ei dubium erat, an novus Pontificiæ dignitatis successor ei futurus esset amicus, & quæ pater Alexander concesserat, is ne adimenda tentaret. Vt autem hoc se metu liberaret, quadruplici id ratione moliri cogitabat. Primo, ut omnium Dominorum, quos spoliarat, totam stirpem exscinderet, quo omnes lædendi sui occasiones futuro Pontifici præriperet. Secundo, ut omnibus Romanis patritiæ gentis sibi amicitia devinctis, eorum ope Pontificis animum freno compesceret. Tertio, ut Cardinalium collegium ad se omni, qua posset, ratione pertraheret sibique conciliaret. Quarto, ut tantum imperij ante obitum patris sibi compararet, quo primæ cuique impressioni posset resistere propriis viribus. Ex quatuor hisce tria jam expedita habebat cum Alexander mortem obiret; quartum quoq; pene confecerat. Quandoquidem quotquot potuit potentiores assequi, paucis elapsis, omnes trucidavit. Iam patritiam gentem Romæ sibi devinctam tenebat. Tum Collegij Cardinalium maximam partem habebat suffragaturam. Porro animo statuerat, quo nova sibi imperij fieret accessio, totius Etruriæ principatum occupare. Iamque Perusini in suam ditionem concesserant Plombinumque: Pisæ autem in ejus clientelam

sese

sese contulerant. Hinc tanquam nullā habiturus amplius Gallorum rationem (nec enim habere debebat, illis jam spoliatis regno Neapolitano ab Hispanis; sic ut utriq; adigerentur illum sibi conciliare) protinus Pisas insilijt. His peractis Lucenses Senensesque statim cedebant, tum ob odium in Florentinos, tum ipsius Principis metu. Florentinis ipsismet nullum remedium fuit reliquum. Id quod si evenisset, uti revera eo ipso anno quo Alexander è vita discessit eveniebat, tantum virium sibi adjunxisset & autoritatis, ut sua ipsius potentia se sustinere ac tueri potuisset: non fortuna opibusque aliorum sed sua virtute & potentia subnixus.

Sed quintum post annum, ex quo gladium distringere cœperat, Alexander naturæ concessit; illo in solius Flaminiæ imperio probe firmato, cætera dubio, lethali morbo correpto, inter duos potentissimorum regum exercitus sibi infensos relicto. Inerat Duci tanta animi ferocia & elatio, & usq; adeo ille probe tenebat, quibus artibus homines conciliandi quibusve perdendi essent, tamque firma erant quæ bevi temporis spatio jecerat fundamenta, ut nisi illos in se ingruentes exercitus habuisset, vel saltem si adversa valetudine non fuisset detentus, omnem difficultatem fuisset superaturus. Quod autem ejus fundamenta firma fuerint, istud perspicuum facit: quod ad mensem totū Flaminia illum expectarit: ipse Romæ quamvis semimortuus securus manserit; adventantibus item eo Balionibus Vitellijs & Vrsinis, nemo tamen fuerit repertus qui se contra Ducem illis adjungeret. Potuisset quoq; cavere, si non quem vellet, ut saltem non quem ipse nollet crearetur Pontifex. Si sane cum Alexander è vita discederet, ipse prospera fuisset valetudine, omnia explicata,

cata,

cata, omnia plana reddidisset. Hinc eo tempore, quo Iulius secundus Pontifex Maximus fuit creatus, mihi dixit; se ad omnem rerum eventum, quem à patris morte futurum putarat, longè in posterum prospexisse, atque remedia comparasse: illud unum duntaxat se præteriisse, quod scilicet nunquam putasset, sub patris morte sibi etiam cum morte esse confligendum.

Omnibus itaque Ducis Valentini rebus gestis in summam adductis, non video, qua in re eum reprehendam: imo potius imitandum proponi eum existimo (ut ego jam tum feci) omnibus illis qui ad imperia fortuna & armis alienis sunt provecti. Aliter sane, cum magno esset animo & alta haberet proposita, rem suam administrare non potuit. Vitæ duntaxat Alexandri brevitas, suique ipsius infausta valetudo, illius consilijs est adversata.

Quamobrem qui in recente suo Principatu necessarium ducit, se ab hostibus tutum asserere: amicos parare: vi aut fraude victorem esse: a populo vel amari vel timeri: milites ut sequantur simulque ut observent efficere: eos, qui possunt aut volunt nocere, perdere: novis artibus veteres ordines & instituta invertere: severum esse & gravem, magnanimum & liberalem: infidam militiam extinguere, novam instituere: Regum & Principum amicitiam conservare, sic ut grate beneficijs te cumulent vel saltem timide offendant: ille inquā recentiora exempla, quam hujus Principis res gestas, invenire non poterit.

Illud duntaxat, in eo reprehendi posse videtur, quod in cooptatione ad summum pontificatum Iulij II, eligendi optionē arripuerit non bonam. Nam etsi electionis pontificiæ ex voto compos esse non poterat, tamen ipsi integrum relinquebatur, impedire, ne fieret Papa quem ipse

nollet. Nec vero unquam consentire debuit, ut quisquam Cardinalium in Pontificem Max. assumeretur, quem ipse aliquando aliqua affecisset injuria, aut à quo in eam dignitatem evecto sibi timendum erat. Existunt enim hominum in homines injuriæ, aut metu, aut odio quodam. Quibus vero inter alios ipse injurium se præstiterat, fuerunt, Cardinalis titulo divi Petri ad vincula & Columnius, Cardinalis item titulo divi Georgij & Ascanius: cæteris omnibus Pontificatum assequutis, timendus relinquebatur, præterquam Rotomagensi atque Hispanis: his quidem ex officio & sanguinis conjunctione; illi vero propter potentiam, quod esset Galliarum Regno conjunctus. Ob id Dux Valentinus Hispanorum quempiam ad pontificatum obeundum creare debuerat: id autem si minus dabatur, in Rotomagensem suffragijs inclinandum erat, neutiquam vero in Card. T. D. Petri ad vincula. Quandoquidem qui existimat magnorum virorum inveterato odio novis beneficijs oblivionem induci posse, is vehementer fallitur. Erravit igitur Valentinus illa electione, causamque attulit, ut omnibus tandem bonis & fortunis suis everteretur.

CAPVT. VIII.

De ijs qui scelere ad Principatum sunt provecti.

QVoniam duabus etiam rationibus è privato quis ad Principatum provehatur, quæ non omnino aut Fortunæ aut Virtuti debetur; haud illæ prætereundæ mihi videntur; quamvis de altera diffusius disseri possit, ubi de Republica est agendum. Hæ autem rationes sunt: vel cum aliquo scelerato & nefario modo ad imperium ascenditur: vel cum civis aliquis privatus suorum civium favore

patriæ

patriæ Principatum occupat. Atque de prima quidem ratione differentes, duplici eam exemplo explicabimus, primo ex veteri, altero ex recentiori ævo desumpto. Nec enim ita cogemur de rei dignitate aut indignitate judicium interponere; Imitari autem cupientibus (si rei necessitas ad id adegerit) ea satis esse judico.

Agathocles Siculus, non modo è privata, sed abjecta & infima fortuna, in Syracusarum Regem evasit. Is figulo patre natus, per omnes suæ fortunæ gradus semper flagitiosam vitam degit; sua tamen scelera tanta cum animi & corporis virtute consociavit, ut cum ad rei militaris disciplinã animum appulisset, per gradus eò devenerit, ut Syracusarum Prætor fuerit creatus. In qua dignitate constitutus, cum jam in animum induxisset Principatum invadere, ac id quod omnium consensu fuerat illi concessum vi retinere, nemini devinctus, statuisset; suo consilio cum Amilcare Carthaginiense, qui tum in Sicilia cum copijs stipendia merebat, communicato, populum Senatumque Syracusanum mane quodam coegit, tanquam aliqua quæ ad Rempublicam pertinerent deliberaturus: ac ad nutum ad id constitutum, jussit à suis militibus omnes senatores omnesque è populo ditiores ad unum interfici. Quibus trucidatis Principatum illius civitatis occupavit, ac sine ulla civili controversia illum retinuit. Et licet à Carthaginiensibus bis fuerit bello fractus, ac demum obsidione inclusus, civitatem tamen suam non modo defensam conservavit, sed suarum copiarum parte ad ejus propugnationem relicta, cum altera Africam est aggressus, ac brevi temporis spatio Syracusas obsidione exemit, & ipsos Carthaginienses in extremam adduxit rerum difficultatem: sic ut pace facta, se Africa

contentos, Agathocli vero Siciliam relinquere, concederent. Qui itaque hujus viri res gestas & virtutem animo reputarit, nihil aut parum in iis animadverterit, quod fortunæ sit adscribendum: quandoquidem, uti jam dictum est, non alieno favore, sed militiæ gradibus, quos mille incommodis ac periculis conscenderat, ad Principatum pervenit: eumque postea incolumem tot animosis consilijs, totque periculis aditis potuit conservare. Cæterum virtutis nomine haudquaquam est cohonestandum: suis civibus mortem attulisse: amicorum proditorem egisse: nulla fide, nulla pietate, nulla religione fuisse. Imperia sane hæ rationes parare quidem possunt, at gloriam non item. Igitur si Agathoclis in adeundis periculis atque ipsis exantlandis virtus, ejus item animi in perferendis superandisque adversis rebus magnitudo spectetur, non quidem videtur cur inferior quovis ducum excellentissimorum haberi possit. Nihilominus ejus animi efferа sævitia & inhumanitas, cum infinitis pene ac fœdissimis flagitijs conjuncta, non patitur ut inter viros excellentissimos celebretur. Quare Fortunæ aut Virtuti acceptum ferri non potest, quod ipse sine earum ulla est consequutus.

Ætate nostra, Alexandro VI. Pont. Max. Oliverottus Firmanus cum superioribus annis puer esset orphanus relictus, à materno patruo, cui Ioanni Fogliano nomen erat, educandus suscipitur, ac ab ineunte adolescentia Paulo Vitellio in re militari instituendus traditur, ut illius disciplina institutus ad aliquem militiæ præstantem gradum perveniret. Paulo deinde vita functo, Vitelloccio ejus fratri militavit, atque brevissimo temporis spatio, quod ingenio solerti esset & corpore & animo acer, inter

prima-

primarios militiæ illius locum obtinuit. Verum cum servilis animi esse existimaret, sub alieno imperio stipendia facere, subijt ejus animum ea cogitatio, ut subsidio nonnullorum civium, quibus patriæ servitus libertate charior erat, ac Vitelliorum favore, Firmum urbem occuparet. Literas itaque ad Joannem Foglianum dedit: se complures annos à patria abfuisse; cupere & illum & patriam suam videre, atque aliqua ex parte patrimonium suum adire ac visere: cumque non alio consilio labores suscepisset, quam honoris adipiscendi causa, ut cives intelligerent à se nullum tempus frustra impensum, velle sese isthuc honorifice, ac centum suorum amicorum servorumque equitibus comitatum, remeare: rogare itaque, ut cum Firmanis agere ne gravaretur, quo sese honorate exciperent; id enim non solum sibi, sed & illi præcipue, ut cujus fuerit alumnus, honori futurum. Quamobrem Iohannes nullum erga nepotem prætermisit, illi debitum, officium. Hic vero à Firmanis summo cum honore illius opera exceptus, ad proprias ædes divertit. Vbi aliquot interjectis diebus, ijsque omnibus, quæ ad futurum facinus patrandum erant necessaria, diligenti cura structis, lautissimum convivium instituit: ad quod Ioannem Foglianum, unà cum civitatis primarijs omnibus, invitavit. Epuli autem cum jam finis esset, cæteraque omnia, quæ in convivijs oblectamenti causa adhiberi solent, lætitiæ irritamenta semota; Oliverottus astu quodam intulit sermones graves de Alexandri Papæ ejusque filij potentia, atque de eorum rebus gestis. Quos excipientibus Ioanne & reliquis omnibus, assurgit ille statim: Hæc sunt, inquiens, de quibus in secretiore loco est differendum: atque in cubiculum sese recepit, quo Ioan-

nes & reliqui omnes illum sunt sequuti. Nec dum consederant, cum ecce è cubiculi secretioribus locis prosilientes milites Ioannem & quotquot ibi aderant trucidarunt. Post patratam cædem, equum Oliverottus conscendit, ac urbem totam excurrit, supremumque magistratum in curia obsedit: sic ut ille metu adactus ejus imperia detrectare haud potuerit, ad ejusque voluntatem rerum statum, cujus ipse Principem se constituit, ordinarit. Interfectis autem omnibus, qui aut læsi aut offensi ei nocere poterant, novis legibus civilibus ac militaribus sese munijt: sic ut anni spatio, quo Principatum tenuit, non solum securus ageret in Firmana civitate, verum omnibus vicinis factus fuerit formidabilis. Ejus autem expugnatio difficilis admodum fuisset æque ac Agathoclis; nisi in fraudem à Valentino sivisset se illici, cum Senogalliæ, ut dictum est, Vrsinos ille cepit & Vitellios: ubi, anno post patratum parricidium, ipse captus unà cum Vitelloccio, quem suarum virtutum & scelerum præceptorem habuit, fracta gula interijt.

Posset quis dubitare, quî factum sit, ut Agathocles & ejus generis alij, post peracta infinita & immania facinora, securam vitam degere in patria potuerint, atq; ab exteris inimicis sese defendere, nec unquam à civibus suis fuerit in eos conspiratum; cum alij complures, propter crudelitatem, nunquam potuerint, ne pacis quidem, ne dum belli tempore ancipiti, suum statum tenere. Arbitror hoc fieri ex crudelitate, recte vel perperam exercita. Recte eam adhibitam esse dici possit (si de eo quod malum est quid boni pronunciari detur) cum quis necessitate adactus semel tantum, quo securum se reddat, crudelitatem exercet, nec amplius illi insistit, sed in subditorum

torum

torum majorem utilitatẽ, quantum fieri possit, illam commutat. Quæ autem perperã adhiberi dicitur, ea est: quæ etsi initio rara est multiplicatur tamen cum tempore potius quam exstinguitur. Qui priorem rationem observaverit is penes Deum pariter & homines aliquid remedij ad statum suum servandum habere poterit, uti Agathocles habuit. Reliqui vero, ut sese sustineant, impossibile est.

Quapropter in occupando principatu, illud constitutum occupanti esse debet: vim omnem sæviendi semel tantummodo effundendam, ne perpetuo eo sit recurrendum, utq; ipsa ab immanitate cessatio homines ad securitatem alliciat, & beneficiorum collatio in amicitiam eos adducat. Qui hoc vel timiditate vel pravo consilio facere refugit, huic semper necessarium erit gladium nunquam è manu deponere, nec ullum in subactis populis fundamentum collocare; cum nec illi propter continuas & recentes injurias securi esse possint. Igitur injuriæ simul omnes & semel sunt effundendæ, quo minus gustentur minusq; offendant: Beneficia vero sensim sunt instillanda, quo melius sentiantur. Ita cumprimis vivere apud suos subditos Princeps debet, ut nullus fortuitus eventus, sive ad voluntatem fluat sive adversetur, possit illum mutare. Nam si turbida tempora necessitatem objecerint, sævire jam non erit tempestivum, benigne vero facere nihil proderit: quia invito animo fecisse credetur, ut nihil inde gratiæ sit relaturus.

CAPVT. IX.

De civili Principatu.

VErum ad alteram partem accedentes: cum Princeps quis non scelere aliquo, nec quapiam non ferenda

vio-

violentia, ſed ſuorum civium favore in patriæ ſuæ Principem evehitur. Qui Principatus *civilis* appellari poteſt: neque ut eo perveniatur neceſſarium eſt, ut ipſa plane Virtus vel Fortuna quem deducat, ſed potius fortunata quædam aſtutia. In eum, inquam, Principatum, vel populi, vel optimatum favore aſcenditur. In omni enim civitate hæc duo inter ſe diſſidentia ſtudia inſunt: oriunturque ideo, quia populus ſcilicet cupit non imperari, neque à potentioribus opprimi: potentiores vero id cumprimis obnixe ſtudent, quo imperitent populumque deprimant. Atque ex his duabus inter ſe pugnantibus cupiditatibus unum horum trium in civitatibus ſurgit: aut Principatus, aut Libertas, aut Licentia. Principatum vel populus vel optimates, ex oblata alteri harum partium occaſione, inducunt. Cum enim Optimates vident ſe populo reſiſtere non poſſe, omnẽ auctoritatem in aliquem ſui ordinis derivant, atque eum Principem faciunt, quo ejus ſub umbra ſuos animi impetus efflare poſſint. Populus item nuſquam perſpecta ratione, qua poſſit potentioribus occurri, devoluta ad unum quempiam autoritate, ad principatum illum evehunt, ut ejus potentia ſint defenſi.

Qui Optimatum ſubſidio Principatum ſubit, difficilius, quam qui Populi ſuffragijs eò evehitur, ſeſe ſuſtinebit: quoniam cum multis ſeſe circumſtantibus Principem agit, quiq; ſe ei pares eſſe exiſtimãt. In quos propterea plenam ex voto adminiſtrandi atque imperandi poteſtatem non habet. At qui populari favore ad Principatum accedit, rerum ſummam in ſe unum verſam cernit; nec ullum habet, vel certe pauciſſimos, qui non prompto animo ejus imperata ſint facturi.

Ad hæc

Ad hæc, potentioribus nec digne satisfieri potest neque sine aliorum injuria: at multitudini potest maxime, quia honestior finis est populo, quam optimatibus: cum hi opprimere, illi ne opprimantur obnixe contendant.

Accedit etiam, quod adversante populo nihil securitatis polliceri sibi potest Princeps, cum nimium multi sint: Optimatibus vero, cum pauci sint, potest. Omnium incommodorum gravissimum quod à populo sibi infenso potest expectare Princeps, est, ne se deserant: at ab Optimatibus, si hostes sint, non solum ne se destituant, sed etiam ne in se impetum faciant verendum est. Cum enim perspicacia major sit in illis & astutia, semper observant tempus, quo se tutos reddant; ac eos gradus quærunt, quibus spes est superiores se fore.

Cum populo præterea cogitur Princeps perpetuo vitam ducere, cum Optimatibus non item: quia horum multos subrogare & abrogare, iisque dignitatem deferre & auferre quandocunque velit, possit.

Verum ut pars hæc melius explicetur, duobus modis Optimates queunt potissimum considerari: An scilicet in sua rerum administratione penitus Principis fortunæ se committant, An non. Qui Principis fortunæ se committunt nec rapinis inhiant, ij digni sunt qui honorentur ac diligantur. Qui vero id facere nolunt, ij in duplici sunt consideratione. Aut enim animi quadam dejectione, & naturali animi defectu ducuntur ne hoc faciant; & tunc eorum opera in rem suam Princeps uti debet, illorum præsertim qui consilio pollent. In rebus enim quæ ad voluntatem fluunt, sunt sibi honori: in adversis vero, non est quod ab illis sit timendum. Aut astu & ambitioso con-

filio sese obligari nolunt: quod utique planum facit præmeditatum illis esse, sui magis quam Principis rationē habere. Ab istis Princeps sibi cavere debet, eosque habere quasi jam aperti sint hostes, ut qui semper cum quid adversi accidit, operam daturi sint. quo illum præcipitem agant.

Qui igitur Populi favore ad Principatum erigitur, æquum est, ut illum in amicitia retineat: quod quidem (cum nihil is quam ne opprimatur in votis habeat) sine ullo negotio potest fieri. Verum Optimatum studio contra populum cui defertur Principatus, huic in eam curam maxime est incumbendum, ut populum sibi adjungat. Id quod etiam factu est perquam facile, si illum defendendum suscipiat. Et quoniam homines cum de se eos benemeritos vident à quibus damnum aut malum se accepturos putabant, benefactoribus istis suis sese vehementer obstringunt: ita propensior est in Principem illum subditus populus, quam si suis illum studijs ad Principatum evexisset. Multis porro modis eos sibi Princeps conciliare potest: cum tamē illi pro subjectæ rei natura maxime varient, non potest de eis certa tradi regula ac proinde omittentur. Concludo duntaxat: Principi maxime omnium esse necessarium, populum retinere in amicitia, quod alioquin in perturbatis rebus nullum habeat perfugium.

Nabides Spartanorum Princeps totius Græciæ & invictissimi Romani exercitus obsidionem sustinuit, ab illisque & patriam & rerum suarum statum defensum tenuit: atque ingruenti periculo illud unum ei satis fuit, paucorum insidias cavere. Quod si populum habuisset inimicum, id sane non fuisset satis.

Nec vero meæ huic opinioni quis contrarius eat,
illo

illo trito proverbio: QVI POPVLARI *nititur aura domum in luto exstruit.* Illud enim locum habet, ubi civis, qui privatæ est conditionis, populo nititur, atque sibi persuasum habet, ab hostibus aut magistratu si opprimatur populum se habiturum liberatorem. Eo in casu sæpenumero se deceptum sentiet: quemadmodum Romæ Gracchis, Florentiæ Georgio Scalæ accidit. At si Principatum jam possidet is qui populo nititur, si pollet imperandi facultate, si vir est ingentis animi, ac nullis rebus adversis exanimatur, nulloque aliarum rerum caret apparatu, animi magnitudine autem nec non suis institutis multitudinem universam retinet animatam; ille haud se deceptum intelliget, sentietque illa quæ jecerit fundamenta stabili in loco locasse.

Periclitari quidem solent ejus generis Principatus, cum è civili ad absolutum imperandi gradum altius evolare contendunt; ideo, quoniam hi Principes, aut per se imperium exercent, aut magistratu mediante. Hoc posterius imbecillem, & periculis obnoxium reddit eorum Principatum: quia hi in suo statu consistunt ex voluntate eorum civium, qui in magistratu sunt: quique tum maxime cum difficilia tempora incidunt, Principum statum nullo negocio subvertere possunt, vel eis adversando, vel eorum jussa detrectando. Nec vero Princeps, cum res jam in discrimen venit, in tempore adesse potest, ut absolutum occupet imperium: quia cives & subditi magistratuum jussis assueti, haud sunt in ea rerum perturbatione & turba Principi parituri. Summa etiam laborabit, perplexis illis temporibus, eorum penuria, quibus tuto fidere possit. Nec enim illo qui pacato tempore. haud displicuit Princeps, tũ niti potest, cũ cives egent eo qui Rempub. accurate regat.

Ante scilicet omnes accurrunt, omnes promittunt, omnes pro eo, cum mors longius abest, volunt oppetere: tempestatibus autem sævientibus, cum Respublica civium opera indiget, tunc eorum mira est paucitas. Eoque magis harum rerum experientia est periculosa est, quo semel duntaxat experiri licet.

Eam igitur Princeps prudens sibi ineundam rationem cogitet: ut cives semper, & quavis temporum conditione, sua administrandi opera indigeant. Tunc sane eos in se animo fideli futuros intelliget.

CAPVT X.

Qua ratione Principatuum omnium vires metiendæ sint.

EXaminanti Principatuum rationem etiam alia quædam consideratio conveniens est, & quidem hæc: *tantum ne Princeps ditionis possideat, ut necessitate premente suis viribus se sustinere possit, an ad alienas opes sit ei perpetuo confugiendum.*

Verum ut hæc pars magis perspicua fiat, dico: Eos suis viribus se tueri posse me judice, qui aut multitudine hominum aut pecuniæ vi justum exercitum colligere, atque cum quovis qui se armis velit petere prælium committere potest. Eos contra semper alienis me judice subsidijs egere, qui adversus hostem in aciem prodire non possunt, sed intra mœnia confugere atque ea defendere coguntur.

Primum illud jam expendimus, plura quæ occurrent infra sumus dicturi. Ad secundum nihil nunc adiicere possum præter id, quod adhortandi sunt Principes tales, ut suam præcipuam urbem muniant atque firment, nulla reliquæ

quæ regionis habita ratione. Quicunque enim urbem suam probe munitam habet, atque cum subditis suis ita se in rerum administratione gesserit, quemadmodum supra jam dictum est; illum nemo, nisi maxima ipsius habita ratione, adoriri tentabit. Quare semper homines omnes oderunt illos insultus qui pericula secum & difficultates afferunt. Et vero vident, non facile effectu esse, aggredi aliquem qui præmunitam urbem possidet, quique apud multitudinem odio non laborat.

Germaniæ civitates maximè liberæ sunt, agri parum admodum possidentes; & tamen demum ubi volunt Imperatori parent: nec illum, nec alium quempiam vicinum timent: idq; quoniam ita munitæ sunt, ut nemo sit, qui earũ expugnationem difficilem, tædijque plenam fore non existimet. Fossis quippe idoneisque muris sunt circumseptæ; quod satis est etiam habent æneorum tormentorum: atque in annum totum asservant in publicis cellis penarijs cibum ac potum, & ad ignem paratam materiam. Ad hæc, quo multitudinem sine Reip. dispendio refectam teneant, ex publico habent, ut artificum operæ in ijs rebus impendantur, quæ illarum civitatum nervi sint & vita, quarumque industria multitudo ipsa potest ali ac sustentari. Rerum præterea bellicarum studia summo habent in honore: ad quas retinendas multæ leges multæque rationes institutæ sunt.

Proinde Princeps, qui unam civitatem egregie munitam habet, nec odio se dignum præstat, in eum nemo impetum facere poterit: & si quis hoc velit, illi cum ignominia discedendum fuerit; quia res hujus mundi ea sunt varietate atque inconstantia, ut fieri non possit, ut aliquis cum suis copijs annum integrum possit otiose in campo degere.

Si quis excipiat: cum populus suos agros extra urbem incendio absumi videt, fracto animo patientiam abrupturum, longaq; obsidione & rerum suarum amore coactũ iri Principis oblivisci. Respondeo: Principem qui est potens & animosus, omnes illas difficultates semper superaturum, partim subditis facta spe non fore diuturna mala, partim ex hostium sævitia timore incusso, partim ab ijs si tutum sese reddat qui paulo plus videntur animi confidentioris. Ad hæc incendia & vastitates sub ipso adventu suo, obsidionisque initio, cum adhuc ardent animi & ad defensionem sunt accensi, inferri ab hoste solent. Minus sane propterea Principi erit dubitandum, quoniam aliquot diebus post quam ardor ille animi est restinctus, detrimenta jam sunt illata, damna accepta, cum malis remedium afferri non potest: ac tum maxime sese cum Principe conjungunt subditi, ut quem sibi devinctum existimant, quod ipsius causa sint ædes incensæ omnesque fortunæ eversæ. Ita enim fert hominum natura, ut beneficijs ultro citroque datis æque inter se devinciantur homines, atque acceptis.

Hisce omnibus diligenter perspectis, non difficile fuerit Principi prudenti, suorum civium animos constantes confirmatosque, tum ante tum post obsidionem, retinere: commeatu modo & reliquis ad defensionem necessarijs non deficientibus.

CAPUT XI.

De Pontificio Principatu.

DE Pontificio Principatu reliquum duntaxat est, ut disseramus. Hunc difficultates omnes priusquam possidetur circumsistunt, quia aut Virtutis aut Fortunæ favo-

favore acquiritur. Neutrius tamen horum opera conservatur: quoniam sustentatur vetustis institutis Religionis, quorum omnino vis tanta est & illa natura, ut suos Principes, quomodocunque se gerant aut vitam instituant, in imperio tueantur. Hi soli Principatum habent, nec illum defendunt. Habent subjectos populos, quos tamen non regunt. Eorum provinciæ sunt indefensæ, eas tamen nemo aufert. Populi sub eorum administratione se neglectos sentiunt & nihil morantur: nec cogitant aut possunt sese ijs subducere. Hi soli itaque Principatus securi sunt & felices. Verum quia ratione quadam superiore reguntur, ad quam hominum mens non attingit, de illis loqui supersedebo. Deus enim ipse eos evexit ac sustinet: eoque arrogantiæ ac temeritatis fuerit de ijs disquirere.

Attamen si quis me roget, quare Pontificatus eo magnitudinis in temporalibus evectus sit; (cum scilicet ante Alexandri ætatem omnes Italiæ Potentes, nec solum qui hoc Potentum nomine dicebantur, sed etiam minores omnes Barones & Domicelli, in temporalibus parvi illum æstimarint, & nullius ille fuerit authoritatis; hoc tamen tempore Galliæ rex eum extimescat, utpote qui hunc potuerit Italia exturbare, & simul Venetis exitium inferre) etsi omnibus hæc fortè nota sint, aliqua tamen ex parte ejus memoria si renovetur, supervacuum fore non puto.

Antequam Galliæ Rex Carolus in Italiam transmisisset, imperio Pontificis, Venetorum, Neapolitani Regis, Mediolanensis Ducis, ac Florentinorum, tenebatur Italia. Hi dominatus in duas potissimum curas incumbere debebant. Prima erat, ne exterorum quisquam Italiam cum armis ingrederetur. Altera, ne eorum quisquam majore

jorem potentiam sibi acquireret. In quos autem quam maxime animo intendendum erat, ij Pontifex erant & Veneti. Venetos avertissent, si inter se facta conjuratione, reliqui omnes, uti in Ferrariensi defensione, in eos conspirassent. Pontifex autem reprimi poterat Romanorum Baronum opera. Illis enim in duas factiones divisis, Vrsinorum scilicet & Columniorum, semperq; inter eos turbis & offensionibus ferventibus, cum ob oculos Pontificis illi armati starent, rem Pontificiam imbecillem atq; infirmam continebant. Et quanquam Pontifex aliquis animosus suscitaretur, qualis fuit Sixtus, nihilominus neque fortunæ favor neque rei gerendæ peritia ab his incommodis illum liberare potuerunt. Hujus autem rei causa erat Pontificum vitæ brevitas. Decennium enim, quod solet fere unus Papa vivere, vix ad alteram factionum deprimendam satis erat. Sed &, si eorum quis (exempli causa) Columnios fere extinxisset, alter statim prodibat Vrsinis infensus, qui hos iterum erigebat: nemo in tempore penitus illos extinguebat. Hac itaque de causa Pontificum vires in temporalibus parvi in Italia pendebantur.

Emersit postea Alexander VI, qui unus omnium qui unquam fuerunt Pontificum, ostendit quantum & pecuniarum & virium potentiâ queat Papa valere; effecitque Dux Valentinus, illa tanquam instrumento & Gallorum in Italiam opportuna transmissione abusus, ea omnia, quæ de illius Valentini Ducis rebus gestis superiori oratione disseruimus. Et vero licet Alexandri consilium non eo spectarit, ut Pontificium Principatum eveheret: nihilo secius quicquid gestum fuit à Duce Valentino, id totum ad amplificationem Pontificij regni redundavit; quippe quod post Alexandri mortem & Valentino extincto,

in e-

in ejus labores omnes hæres successit.

Venit deinde Papa Iulius, reperitque rempubl. Pontificiam (quod tota ei subacta esset Flaminia, Romani Barones extincti jacerent, atque Alexandri verberibus factiones illæ essent attritæ) mirum in modum evectam. Nactusq; præterea est viam ad congerendam pecuniam, quæ ante Alexandri tempora parum fuerat usitata. Quæ omnia Iulius non solum sectatus est, verum etiam obnixe curavit augenda; atque proinde animo statuit Bononiam suo imperio adjungere, Venetos delere, Gallosque ex Italia protrudere. Quæ omnia illi pulchre cessere ex sententia: ac majore cum laude ideo, quia non ad privatum quempiam, sed ad Remp. Pontificiam locupletandam, id totum curavit agendum. Parteis idem Vrsinas atque Columnias, in quo invenerat statu, retinuit. Inter quos licet esset, qui se caput factionum ad res novas constitueret, tamen duo eos in officio retinebant: quorum alterum erat amplitudo Ecclesiasticæ reipublicæ, qua deterrebantur: alterum, quod in Cardinalium senatu neminem ex suis haberent. Hi sane omnium inter ipsos motuum authores esse consuevere: nec unquam hæ factiones conquiescent, dum Cardinales habebunt. Hi enim Romæ forisque partium studia fovent; quas defendere ejus generis Barones adiguntur. Ab horum sane Prælatorum ambitione discordiæ tumultusque inter Barones enascuntur.

Leo itaque Papa hunc Pontificatum nactus est potentissimum. De quo spes est, si armis illum alij magnum reddiderunt, quod ipse tum morum integritate, tum infinitis alijs suis virtutibus, illum maximum ac venerandum sit effecturus.

CAPVT XII.

Quot sint militiæ species, deque militibus mercenarijs.

DIsquisitis singulorum Principatuum rationibus, de quibus initio disserendum proposuimus; eorumque tum boni tum mali causis aliqua ex parte perspectis: explicatis denique modis, quibus multi eos consequi ac tenere sunt conati; id mihi duntaxat est reliquum, ut generatim ea perlustrem, quæ vel ad offendendum, vel ad sese defendendum spectant, quæque in eorum quolibet accidere possunt.

Dictum autem est supra: necessarium esse ei qui Principem agit, ut probe firmata habeat sua fundamenta, quod alioquin illum corruere necesse sit. Præcipua vero fundamenta, quibus imperia, cum nuper tum olim parta & quæ ex his mixta sunt, continentur, sunt *bonæ leges* & *bona arma*. Quia autem bonæ leges esse non possunt, ubi non sunt bona arma, at ubi bona vigent arma, ibi necesse est ut bonæ etiam sint leges; legibus in præsentia præteritis, de armis orationem instituam.

Arma igitur, quibus Principes ditionem suam tuentur, sunt vel propria, vel mercede conducta, vel auxiliaria, vel mixta. Mercenaria & Auxiliaria inutilia sunt & periculosa. Et quicunque statum suum armis mercenarijs habet superstructum, is firmiter ac secure non consistit: quia unita non sunt, ambitiosa, nullius disciplinæ, nullius fidei, inter amicos acerrima, in hostes inertia & ignava, nullo Dei metu, nulla erga homines fide: tam diu ruina eorum differtur, quamdiu impressio differtur. Pacis tempore ipsi illi, belli vero hostes te spoliant. Cujus

rei causa est, quod neque alio amore neque alia causa castra sequantur, quam stipendioli cujusdam; quod tamẽ satis non est ad eos impellendos, ut tua causa mortem sibi oppetendam putent. Cupiunt sane in tuum exercitum allegi, si nullum tibi bellum sit: at ubi est cum hoste congrediendum, tunc aut fuga, aut discessu, te deserto, sibi consulunt.

Id sane nullo negotio persuadere possim. Nam Italiæ præsens exitium aliunde non esse ortum patet, quam quod in mercenarijs armis à multis jam annis spem suam collocaverit. Quæ quidem, nonnihil retroactis temporibus, usui quibusdam atque inter se valida fuisse visa sunt: at præpotente extero adventante, tunc apertum factum est, quid virium haberent. Quapropter Carolo regi facile fuit Italiam gypso quasi occupare. Qui sane ejus mali causam fuisse peccata nostra asserebant, ij, quod res erat, affirmabant quidem: sed peccata illa tamen non erant, quæ credebantur, verum ea de quibus jam dixi. Et quoniam Principum erant peccata, luerunt & ipsi pœnas.

Infelicitatem adhuc hujus generis armorum melius ostensam volo. Mercenarij duces aut sunt viri præstantes, aut non. Si excellant, jam eorum te fidei tuto committere neutiquam potes. Semper enim vel tui, cujus sub imperio degunt, vel aliorum contra animi tui propositum oppressione, ad suam ipsorum amplitudinem aspirabunt. Si fuerint virtute nulla eminentes, tunc te procul dubio in ruinam trahent.

Si quis excipiat, hoc idem esse facturos quicunque arma tenent, sive ij mercenarij sint sive non. Responderem. Arma vel tractantur à Principe, vel ab aliqua Republica. Principis est ipsum præire atque imperatoris obire

parteis: Reipublicæ vero suos cives mittere. Quorum si quem industria & virtute parum respondere hæc videat, illum submovendum curet: si expectationem explet, tum legibus illum, ne officij fines transiliat, cohibeat.

Et vero reipsa cernitur, solos Principes ac Respublicas armis instructas maximos fecisse progressus: mercenaria autem arma damnum semper dedisse. Ad hæc, majori cum difficultate Respublica aliqua proprijs armis munita adigitur ad sui alicujus civis obedientiam, quam quæ extero milite utitur. Roma & Sparta per multa secula armis instructa floruerunt, & liberæ manserunt. Helvetij armatissimi sunt & liberrimi. Qualia olim fuerint arma conductitia, Carthaginenses nobis exemplo esse possunt: qui statim à primo contra Romanos confecto bello, parum abfuit quin à militibus, quos mercede conduxerant, fuerint oppressi, licet suos cives Carthaginienses copiarum haberent præfectos. Philippus Macedo à Thebanis post Epaminondæ mortem creatus est imperator, & parta ex hostibus victoria eorum libertatem sustulit. Mediolanenses, mortuo Philippo Duce stipendio conduxerunt contra Venetos Franciscum Sfortiam: qui ad Caravagium devictis hostibus adjunxit se illis, ut Mediolanenses suos dominos opprimeret. Ejus pater Sfortia cum Ioannæ Neapolitanorum reginæ stipendia mereret, repente illam inermem deseruit, sic ut, ne regnum amitteret, in Arragoniorum Regis sinum coacta fuerit sese conjicere.

Si quis objiciat: Venetorum atque Florentinorum imperium his armis retroactis temporibus fuisse acquisitum, nec illud ab eorum præfectis in potestatem redactum sed defensum esse. Respondeo. Florentinos quidem fortu-

fortunam in ea re fautricem habuisse. Quandoquidem ex eorum ductoribus illi qui strenui erant, & à quibus sibi metuendum fuerat, nonnulli adversis prælijs sunt usi, nonnullis fuit repugnatum, reliquos ambitio aliò devolvit. Qui infeliciter bellum administravit, is fuit Ioan. Acutus: cujus fides amissa victoria cognosci non potuit: at nemo non fatebitur, si victoriam ille reportasset, Florentinorum rem in ipsius arbitrio fuisse futuram. Sfortiæ perpetuo Brachiani sunt adversati, mutuo sese observantes. Franciscum ambitio in Longobardiam pertraxit: Bracchium vero contra Ecclesiam Romanam atque Neapolitanum regnum. Verum ad id accedamus, quod nuper contigit. Summam belli gerendi Florentini detulerunt Paulo Vitellio, viro insigni prudentia, qui ex privata fortunæ conditione, maximum sibi nomen pepererat: is si Pisas expugnasset, Respublica Florentina indubie ejus imperium subire fuisset coacta. Si sane in hostium parteis militatum transiisset, nullus fuisset evadendi locus: si vero eum retinuissent, illi obedire debuissent.

Venetorum si progressus examinentur, facile quis intelliget, eos tutissime ac felicissime tunc se præstitisse, cum ex propria gente collecti eorum exercitus bella gererent. Qui mos eis fuit antequam ad terrestres expeditiones sua studia converterent. Quo quidem tempore patritiæ gentis & urbanæ plebis instructi armis, fortissime se gesserunt. At ubi primum terra bellum gerere cœperunt, hanc virtutem neglexerunt, moresque Italicos sunt sequuti. Atque initio quidem sui incrementi per continentem, tum quod non ita longe fines protulissent, tum etiam quod in magna essent existimatione, non erat ipsis à suis belli ducibus valde timendum: at propagatis impe-

rij limitibus Carmignola exercitus imperatore facto, tunc ejus erroris ſpecimen ceperunt. Nam cum illum acerrimum ducem cognoviſſent, poſtquam verò ejus ductu Mediolanenſem Ducem mulctaſſent, illum remiſſiorem in bello gerendo factum cernerent, eo ductore ſe amplius haud fore ut vincant ſunt rati. Quare ne quod partum fuerat iterum periret, eum dimittere nec volebant nec poterant: ut tamen tutos ſe aſſererent, eum interfecerunt. Habuerunt deinde ſuarum copiarum imperatorem Bartholomæum Bergomatem, Robertum Severinatem, Comitem item Petilianum, & id generis alios: quibus ducibus metuendum fuit ne detrimentum potius quam emolumentum ſuæ reipublicæ caperent. Id quod ad Vailam accidit: ubi unico cum hoſtibus congreſſu id totum perijt, quod DCCC annis tot laboribus fuerat quæſitum. Vt proinde his armis lentæ duntaxat, ſeræ ac exiguæ rerum acceſſiones, at ſubitæ & repentinæ jacturæ & calamitates fiant.

Quoniam vero his exemplis eo devenimus, ut de Italia nobis fuerit ſermo, quæ multos annos his armis mercenarijs procurata fuit, de his altius diſquirere placet; ſi forte eorum & origine & progreſſu perſpecto, conſilia in melius referre fortaſſis poſſit.

Itaque attendendum; quod ultimis temporibus cum vis Imperij ex Italia alio translata fuit, ac Pontificis in temporalibus major authoritas excrevit, tota Italia in plures dynaſtias diſſecta ſit, quia celebriores urbes in ſuos Nobiles, quibus antea Imperatorum favore oppreſſæ parebant, arma ſumpſerunt: ad quod etiam Pontifices, ut inde exiſtimationem ſibi in temporalibus compararent, opem tulerunt. Ex his nonnullæ in Principatum ſuorum civium ceſ-

um cesserunt. Ex quo vero Italiæ potentia quasi in manus ac potestatem Pontificũ & nonnullarum Rerumpub. ferme devenisset, cumque hujus generis cives rei bellicæ ignari essent, ceperunt illi stipendia militibus persolvere. Qui primus omnium huic militiæ existimationem attulit, fuit Albericus Comensis è Flaminia. Prodierunt ex hujus disciplina Bracchius, & Sfortia: qui sua tempestate rerum in Italia quasi arbitri fuerunt. Hos reliqui omnes secuti sunt, qui ad hæc nostra usque tempora res bellicas in Italia curarunt. Quarum rerum bellicarum is fuit exitus, ut Carolus Italiam percurrerit, Ludovicus diripuerit, Ferdinandus oppresserit, Helvetij deformaverint.

Ordinis bellui quem illi tenebant is primarius erat scopus: sibi existimationẽ conciliare detracto pedestri militiæ omni honore. Fecerunt illud, quoniam nullam ditionem haberent, sed sua duntaxat industria cogerentur sibi victum quærere: peditum paucitas nihil nominis poterat dare, copioso exercitui autẽ alendo non erant pares. Hinc sane tota res militaris in equitatum per eos abijt: cujus mediocri numero ipsi ali poterant ac in honore retineri. Ita demum factum, ut in exercitu viginti millium hominum, vix duo millia peditum invenirentur. In illud præterea omni industria contenderant, ut à se atque à militibus omnem laborem & metum averterent; ne ullæ cædes fierent: capi tantummodo utrinque liceret, & sine ullo pretio dimitti: in objecta sibi oppida noctu tormenta bellica non emitterentur, nec vicissim ex oppidis in tentoria jacerentur: castra præterea nullo vallo, nullave fossa cingerentur, nec hybernis temporibus haberentur. Hæc autem omnia in eorum militaribus atque ab ipsis inventis institutis permissa erant: in eum finem (ut dictum est) quo

quo laborem & periculum omne devitarent. Sic, ut per eos nunc Italia captiva jaceat ac fœdissime deformata.

CAPVT XIII.

De militibus auxiliarijs, mixtis, & proprijs.

AVxiliaria arma, quæ & ipsa sunt inutilia, sunt, cum præpotentem aliquem, ut suis armis nobis succurrat nosque tueatur, accimus. Quemadmodum proximis temporibus à Pontifice Iulio II est factum. Qui perspecto sui mercenarij exercitus tristi specimine, ad auxiliaria arma se convertit, pactusque est cum Ferdinando Hispaniarum rege, ut suis copijs sibi opem ferret.

Possunt quidem id generis arma sua natura & utilia & bona esse: at in evocantem nunquam non perniciosa sunt: quandoquidem ijs fractis eversum, victricibus vero eorum captivum te senties.

Etsi vero his exemplis universæ pene historiæ antiqua monumenta sint referta: tamen ab hoc Iulij exemplo, quia adhuc recens est, non discedam. Cujus consilio nihil inconsideratius esse potuit, ut qui ad Ferrariam occupandã se totum alienæ potentiæ commiserit. Sed ejus prospera fortuna effecit, ut tertia quædã res nasceretur, ne sui temerarij consilij fructum caperet. Nam fractis ad Ravennã suis auxiliarijs copiis, ac irrumpentibus Helvetijs (qui præter & suam & aliorum opinionem victores ejecerant) factum est, ne captivus fieret vel hostium, qui jam fugati erant, vel auxiliarium, quia alijs armis non ipsorum victoria potitus erat.

Florentini penitus armis destituti, decem millia Gallorum, ad Pisas expugnandas, stipendijs conduxerant. Quo consilio graviora subierunt pericula, quam unquam antea in

tea in omnibus suis adversæ fortunæ casibus.

Constantinopolitanus Imperator, ut vicinis hostibus occurreret, decem millia Turcarum in Græciam immisit, qui confecto bello illinc abire noluerunt. Quod sane futuræ servitutis totius Græciæ tum Christianæ religionis hostibus initium dedit.

Cui itaque stat sententia, ut velit non posse vincere, hæc arma in usum adhibeat: nam & mercenarijs sunt longe periculosiora. Quandoquidem in ijs quasi tuum exitiũ inest: ut quæ tota unita sint,& tota alieno imperio obediant. Mercenarij autem ut post victoriam tibi partam tibi fiant offensi, longiore tempore & majore quadam occasione opus est: quia non ita omnes unum corpus constituunt; cumque à te accitæ atque stipendio sint affectæ, si tertium quempiam illis ducem præficias, non capiunt sibi statim tantum autoritatis, ut te ausint offendere. Summa illa est: in mercenarijs ignavia periculosior est, in auxiliaribus autem bellica virtus.

Princeps igitur sapiens quisque semper hæc arma fugit atque ad propria animum contulit, maluitque suis armis vinci, quam alienis victorem esse: alienis scilicet armis partam victoriam haud veram existimans.

Nunquam verebor in exemplum Cæsarem Borgiam ejusque actiones adducere. Dux ille in Flaminiam cum auxiliari exercitu, eoque toto è Gallica gente collecto est ingressus, atque eorum ope Imolam & Forum Livium cepit. Verum cum parum fida ea arma cerneret, ad mercenaria, ut quibus minus periculi inesse judicabat, se contulit: & Vrsinos propterea ac Vitellios conduxit. Verum cum usu observasset etiam illa arma dubia, infida, & periculosa esse, opprimenda curavit, atque ad propria arma se con-

vertit. Quid autem discriminis inter se habeant hæc utraque armorum genera, facile perspicuum fiet; cognita differentia inter eam Ducis Valentini existimationem, quam habuit cum Gallicis tantum subsidiarijs aut Vrsinorum & Vitelliorum mercenarijs copijs instructus esset; & eam, qua floruit, cum proprijs militibus septus fuit. Hoc enim tempore nunquam non illam auctam reperiemus. Nec vero magni nominis est habitus, nisi cum omnes eum integrum possessorem suorum armorum esse agnoverunt.

Nolebam ab Italiæ exemplis, ijsque recentibus, discedere: nihilominus unum eorum de quibus supra facta est à me mentio, Hieronem Syracusanum, præterire nolo. Is (ut dixi) à Syracusanis declaratus exercitus imperator, statim sensit militiam illam mercenariam non fore utilem: cum jam in ea duces æque essent comparati, atque nunc nostri Itali. Sed tamen cum videret eos se nec retinere nec missos facere posse, ad unum interficiendos curavit. Ex eo postea tempore non alienis armis sed suis bellavit.

Ad hoc institutum illustrandum, ex Veteri Testamento similitudinem aliquam in memoriam revocabo. Cum in provocatorem Philistæum Goliam David dimicaturum sese Saulo obtulisset, ei ut Saulus animum adderet, suis eum armis instruxit: quæ ubi David induisset, rejecit, cum illis, inquiens, sese non valere ad pugnam: hostem propterea, cui erat assvetus funda & gladio, aggredi statuisse. Vno verbo: aliena arma, aut ex humeris decidunt, aut sunt tibi oneri, aut te constrictum tenent.

Carolus VII Ludovici XI regis pater, cum Galliam sua fortuna & virtute duce ab Anglis liberasset, hanc sui munien-

niendi proprijs armis necessitatem cognovit, instituitque per suum regnum & equitum & peditum ordines. Hujus filius Ludovicus peditum ordinem sustulit, atque Helveticæ genti stipendia dare cœpit. Ex quo errore, quem posteri ejus (ut nunc re ipsa constat) secuti sunt, ejus regni pericula emanarunt. Conciliata enim Helvetijs existimatione, viliorem omnē suam propriam militiam effecit: quia peditatum in universum sustulit, & suæ gentis milites alienis quasi obligavit: utpote qui militare cum Helvetijs jam assueti, nunquam se sine ipsis vincere posse existimant. Hinc sane fit, ut Galli adversus Helvetios non satis virium habeant, contra alios autem sine Helvetijs nihil audeant. Gallica itaque militia mixta est ex mercenarijs, & proprijs. Quæ arma conjuncta meliora quidem sunt ijs, quæ vel simpliciter mercenaria sunt, vel simpliciter auxiliaria; longe tamen proprijs inferiora. Cujus rei exemplum satis est illud quod est superius adductum: quia Galliæ regnum, Caroli instituto aucto vel saltem retento, fuisset invictum. At minuta hominum prudentia sæpe aliquid constituit, quod quia tunc boni nonnihil præ se fert, non aperit statim quod ibi delitescit venenum; ut supra de hectica febri est dictum. Vt vere sapiens dici non possit ille, qui mala non nisi cum in Principatu nata jam sunt agnoscit. Illa tamen longe antevertere paucis conceditur.

Porro si etiam prima eversio Romani Imperij consideretur, non aliunde eam initium sumpsisse quis intelliget, quam quod Gothi mercede conduci cœperunt. Ab eo sane principio vires Romani Imperij infirmiores sunt redditæ; quia virtutem omnem sibi ademerunt Gothis tribuerunt.

Certum sit igitur: nullum Principatum proprijs armis destitutum unquam fore securum: imo à fortunæ inconstantia (quod virtute careat qua protegatur) totum pendere. Et vero in ea semper & opinione & sententia fuerunt sapientissimi quique: nihil levius, nihil infirmius, aut instabilius esse, quam famam potentiæ non propria virtute suffultam.

Sunt autem arma propria, quæ constant aut ex subditis tuis aut ex civibus aut ex clientibus; reliqua omnia mercenaria sunt, aut auxiliaria.

Modus ordinandi domesticam militiam facilis inventu fuerit, perspectis rationibus, quæ à nobis supra positæ sunt: considerato item quo pacto Philippus Alexandri Magni pater, nec non multæ Respublicæ & Principes, sese armarint ac instruxerint. Ad quæ instituta lectorem remitto.

CAPUT XIV.

Quid ad militiæ usum Principi conveniat.

Nihil aliud itaque ob oculos sibi statuere debet Princeps, nihil aliud curare, nullam aliam artem exercere, quam bellum, quam militaria instituta, quam denique militarem disciplinam. Ea enim sola ars est imperantis. Est autem tantæ virtutis, ut non solum eos qui Principes nati sunt sustentet, verum & multos privatæ fortunæ homines ad eum gradum sublimes ferat. Contra vero perspicuum est, Principes, qui magis delitias quam bellicas arteis curarunt, Principatum suum amisisse. Ejus autem amittendi prima causa est hujus disciplinæ neglectus, ut acquirendi, ejusdem est cura ac professio. Franciscus Sfortia armis instructus è privato fortunæ statu Mediolanensi-

nensium Dux fuit evectus: at ejus filij militiæ molestias atque incommoda detrectantes, è Ducibus ad privatam conditionem reciderunt.

Et vero inter alias malorum, quæ te armis denudatum circumsistunt, causas est etiam illa: quod tui contemptum pariat. Quæ sane turpitudo præcipua est earum, quæ sunt Principi summo studio effugiendæ: ut infra dicetur. Nulla sane proportio est inter armatum & inermem: nec ratio ipsa patitur, ut armatus sponte ac volens obediat inermi: aut ut qui inermis est securus inter armatos servos versetur; quoniam fieri non potest, ut inter eos recte omnia agantur, in quorum alteris indignatio, in alteris suspicio obtinet. Porro in nulla existimatione apud milites haberi potest Princeps ille, qui militiæ est ignarus, nec se illorum fidei potest committere: quod ad alias (ut dictum est) infelicitates accedit.

Nunquam propterea cogitationem à belli studio avertere: imo pacis tempore acrius in eo quam belli sese exercere Princeps debet. Id autem duplici ratione efficere potest, opere scilicet & mente. Quod Opus attinet, præter id quod suos quibus præest habere debeat probe ordinatos & exercitatos, ipse venandi studio jugiter incumbat: ut hoc usu & corpus laboribus assuefaciat, & locorū naturam addiscat. Vt intelligat nimirum: quomodo assurgant montes: quo pacto vallium ora aditum admittant: uti diffusi campi pandantur: ut fluminum præterea naturam & paludum noscat: atque in hoc summam judicet adhibendam curam. Quæ cognitio duplicem affert utilitatem. Prima est, quod ita explorata sibi pateat tota suæ ditionis regio, meliusque curam inpendere possit illius defensioni. Altera est: quia ex tali locorum judicio &

usu, facile situm loci alium quempiam, qui recenter est propositus speculandus, animo complecti potest. Nam qui in Etruria (verbi gratia) siti sunt colles, valles, æquatæ planities, flumina, & paludes, habent cum ijs quæ in alijs sunt provincijs certam quandam similitudinem: ut ex unius provinciæ situ in aliarum etiam cognitionem facillime deveniri possit. Princeps sane qui hac caret peritia, præcipua destituitur parte qua belli dux instructus esse debet. Quoniam hæc hostem invenire, castris locum capere, exercitum ducere, diem indicare pugnæ, urbes denique docet cum commodo obsidione cingere.

Philopœmenis Achæorum principis, inter alias quæ à scriptoribus ei tribuuntur laudes, ea una est, quod pacis tempore nihil quam rationem bellandi animo versaret; atque campos cum amicis peragrans, sæpius gradum sisteret, unaque cum ipsis dissereret: quæso inquiens, si forte collem illum hostes tenerent, nosque hic cum exercitu consisteremus, uter nostrum superior esset? quo pacto servatis ordinibus tuto eos aggredi possemus? cupientibus item nobis pedem referre, quomodo esset agendum? si ipsi revocare gradum vellent, qua ratione insequi possemus? Atque ita proficiscens, omnia quæ in exercitu casu evenire possunt, illis proponebat, eorumque sententias intelligebat, suam afferebat, ac rationibus confirmabat. Sic, ut ex hac jugi cogitatione nunquam posset inter ductandum exercitum aliquid adversi casus suboriri, cui ipse non haberet quo occurreret remedium.

Quod Mentis exercitium spectat, Principi evolvendæ sunt historiæ, in illisque præstantium virorum res gestæ inspiciendæ: videndum quid in bello gerendo consilij tenuerint: examinandæ caussæ victoriæ aut accepti detrimen-

menti, quo & has fugere, & illas imitari possit. Illud inprimis faciat, quod olim à præstantibus quibusque viris factitatum est, ut si quem ante sua tempora laudibus & gloria ornatum audiverit, eum sibi imitandum proponat, illiusq; semper & res gestas & actiones apud se teneat. Quemadmodum Achillis Alexandrum Magnum, Cæsarem Alexandri, Cyri Scipionem imitatorem fuisse dicunt. Et vero si quis vitam Cyri à Xenophonte descriptam legerit, facile intelliget ex Scipionis vita, quantum ei ex imitatione isthac gloriæ accesserit, quamque in castitate, comitate, humanitate, & liberalitate Scipio sese composuerit ad ea, quæ à Xenophonte de Cyro prodita sunt.

Id generis modos sapiens Princeps observare debet, nec unquam pacato tempore otiosam vitam ducere, verum summo studio eos omnes in pretio habere: ut in rebus adversis sibi usui esse possint, atque fortuna reflante, ad omnes ejus ictus declinandos propulsandosque sit instructus.

CAPUT XV.

De iis rebus, quibus homines, maxime vero Principes, aut laudantur aut vituperantur.

Reliquum est ut videamus quænam instituta Principis esse debeant, quæque vitæ quotidianæ consuetudo cum suis subditis & amicis. Et quoniam non ignoro multos in hoc genere scribendi operam locasse; vereor, ne si & ipse ad scribendum de eisdem rebus me conferam, id arroganter esse factum credatur, si præsertim alienam à communi aliorum sententia de hac re disputationem instituam. Verum cum animus sit ea scribere, quæ intelli-

gentii

genti utilitatem afferunt, magis consentaneum visum est, veritatem rei, quam ejus inane figmentum sequi. Et sane multi Respublicas & Principatus quosdam animo effinxerunt, qui nunquam sub aspectum ullum venere, multo minus revera extiterunt. Tantum distat vero ratio, qua homines vivunt, ab ea qua debebant vivere, ut qui negligit id quod fit, intentus duntaxat illi quod debebat fieri, is addiscendo sibi ruinã potius accersat quam aliquid salutis. Qui sane se virum omnibus partibus bonum præstare studet, cum inter tot non bonos periclitari necesse est. Necessarium est itaque Principi, si se salvum velit; ut sciat qua ratione possit esse non bonus; idque pro rei necessitate in suum usum convertat vel non convertat.

Quapropter posthabitis quæ de Principe duntaxat animo sunt efficta, de ijs quæ vera sunt differens, ita dico. Omnes Principes (de his est sermo, quia præ aliis editiore loco positi sunt) harum rerum aliqua notari solent; idque vel ad laudem vel ad vituperium. Ut alius nimirum dicatur liberalis, restrictus & tenax alius: quidam munificus, raptor alius: alius crudelis, alius clemens: quidam fœdifragus, fidelis alius: unus effœminatus & abjecti animi, alter vir fortis & ferox: alius humanus, superbus alius: alius libidinosus, castus alter: quidam simplex, alter astutus: alius asper, alius lenis ac facilis: alius gravis & severus, alius levis ac dissolutus: unus religiosus, alter à pietate alienus; & his similia.

Nemo non fatebitur scio, fore rem summis laudibus celebrandam, si omnibus his Princeps fuerit ornatus, quæ ex jam dictis bona existimantur. Verum cum nec haberi, nec per adversantem humanæ vitæ conditionem servari

vari possint, necessarium est valere Principem ea pruden-
tia, ut infamiam fugiat eorum vitiorum, quibus illi impe-
rium adimi possit. Caveat etiam ab ijs, si fieri possit,
etsi non auferrent: si fieri non possit, quam minimo ta-
men detrimento omittantur. Nec multum sane laboret,
si in eorum vitiorum infamiam incurrat, sine quibus do-
minatum non facile tueri possit. Vtpote quum, si diligen-
ter animo reputes, reperiantur quædam, quæ virtutes
creduntur, quæ tamen si sequaris, id tuo magno malo fi-
at: contra vero nonnulla deprehendantur in speciem vi-
tiosa, quæ si assumas, in tuam & securitatem & incolumi-
tatem sint cessura.

CAPVT XVI.

De liberalitate, & tenacitate.

INitium itaque sumens ab eo, quod inter jam dicta pri-
mum locum est sortitum: non negarim fore optimum,
ut Princeps habeatur liberalis. At vero ita liberalem esse
ut tu non metuaris, sane obest. Nam si ex virtute, & que-
madmodum fieri par erat, benignus sis, id obscurum jace-
bit, nec à contrarij vitij infamia te liberabit. Quapropter,
ut apud homines liberalitatis nomen quis accipiat, ne-
cessarium erit, nullius generis luxum omittere: adeoque
talis Princeps, nunquam non opes suas & fortunas est
profusurus, adigeturque tandem (si liberalis nomen sibi
conservatum velit) extraordinarie populum suum grava-
re exactionibus, ac omnia moliri quibus pecunias sibi
congerere possit. Hinc fit, ut suis subditis fiat invi-
sus, atque ad inopiam redactus in exigua apud omnes
habeatur existimatione. Sic, ut hac sua liberalitate
compluribus læsis, paucis contra beneficio affectis, ad

primum quodque incommodum nutet atque in primo quoque discrimine periclitetur : id quod si ipse jam intelligat, & ab incepto desistere velit, confestim in famam avari incurrit. Proinde Princeps si hac liberalitatis virtute, sic ut omnibus illa illustris fiat, sine detrimento uti non possit, si sapit, tenacis nomen non reformidabit. Nam progressu temporis, cum perspectum fuerit, ex sua parsimonia abunde sibi vectigalium suppetere, ut possit res suas ab ijs qui bellum erant illaturi, tueri, & non gravata multitudine res aggredi insignes; tunc, munificus habebitur, ideo quod in omnes illos liberalis censeatur, quibus nihil ademit, qui pene sunt infiniti: parcus autem in eos, quibus nihil contulit, qui pauci sunt.

Ætate nostra vidimus nihil laude dignum esse factum nisi ab ijs qui parci sunt habiti, reliquos autem perijsse. Iulius II Papa postquam liberalitatis nomine ad Pontificatum aucupandum se satis superque fuisse perfunctum cognosceret, illius nominis conservandi postea securus in diversum abijt, quo Galliarum regi bellum posset inferre; totque bellis gestis, nihil aut tributi aut vectigalis extra ordinem unquam imperavit: quia immoderatis sumptibus satis subministravit ejus diutina parsimonia. Hispaniarum qui nunc regnum obtinet, si liberalis nomine commendari voluisset, nunquam tot res gerere, victorijsque potiri potuisset.

Proinde Princeps (ne suos spoliet, utque sese tueri ac sustinere possit, in pauperiem item & contemptum ne recidat, aut ad rapinas ne adigatur) avaritiæ nomen parvi faciendum ducat: quia hoc unum vitiorum est, quod ipsum facit regnare.

At si quis C. Cæsarem dixerit sua liberalitate ad imperi-

peri-

perium pervenisse, aliosque complures, quod & essent & haberentur liberales, ad altissimos honorum gradus fuisse evectos, responderim: Aut tu jam es Princeps, Aut ad illum gradum adhuc es in via. In priore statu hæc tua liberalitas fuerit noxia tibi: in altero si vivas necessarium est, ut liberalis habearis. Cæsar ex ijs erat, qui ad Romani Imperij Principatum aspirabant: verum eo occupato, si superstes fuisset, nec sumptibus fuisset temperatum, totum illud Imperium profudisset.

Si iterum quis dixerit, multos exstitisse Principes, qui suis exercitibus res magnas gesserunt, & tamen liberalissimi habiti, dicendum est: Principem vel de suis suorumq; subditorum, vel de aliorum bonis sumptus facere. Si primum, parcus esse debet: si secundum, necesse est ut nullam partem liberalitatis prætermittat. Atqui Principi in expeditionem exercitum educenti (qui exercitus præda, direptionibus, tributis sint alendi) alienaque tractanti, necessaria est hæc liberalitas: alioquin milites illum non sequentur. Quod autem non est tuum nec tui populi, id liberalius conferri potest: uti à Cyro, Cæsare & Alexandro factum constat. Non enim id quod de alienis bonis insumis, tibi existimationem adimit, imo cumulatiorem reddit: sed à proprijs opibus absumptis tibi detrimentum venit. Atque nihil est quod magis seipsum conficiat, quam liberalitas: qua dum uteris facultatem utendi amittis, atque redigeris vel ad egestatem, vel ad tui contemptum, vel si pauperiem velis fugere, ad rapienda aliena atque ad id ut fias invisus. Omnium maxime autem Principi est vitandum, ne aut contemnatur, aut odio habeatur, ad quorum utrumque liberalitas illum facile impellit. Quare sapientius est nomen Parci sustinere, quod

infamiam absque odio parit; quam liberalis ut dicaris, necessatis isthuc adigi, ut raptoris nomen merearis, quod infamiam summo cum odio conjunctam attrahit.

CAPUT XVII.

De crudelitate & clementia: atque satiusne sit amari, quam metui.

IAm ad alia eorum quæ supra recensuimus devenientes fatemur, unicuique Principi optabile fore, ut clemens, non crudelis haberetur: nihilominus cautio adhibenda est, ne hac ille abutatur clementia. Cæsar Borgia immanis existimabatur: sua tamen immanitate totam Flaminiam in integrum restituit, in unum collegit, atque ad pacem & fidem redegit. Quod si probe consideretur: Florentino populo deprehendetur illum mitiorem fuisse: qui ut crudelitatis nomen effugerent, siverunt Pistoriensium urbem everti.

Parvi itaque ducat Princeps sævitiæ nomen, quo suos subditos concordes & in fide retineat. Paucissimis enim suppliciis clementior illis eris, qui nimia lenitate permittunt ut rerum perturbationes sequantur, unde cædes aut rapinæ nascuntur. Totam enim multitudinem hæ offendere solent, cum illæ animadversiones, quæ à Principe proficiscuntur, nō nisi aliquot singulares lædant. Inter omnes autem Principes ille potissimum qui novus est, fieri non potest ut inclementis nomen effugiat, cum novi dominatus adeo periculis sint referti. Hinc Virgilius ore Didonis regni sui inhumanitatem novitate excusat, inquiens:

Res dura, & regni novitas, me talia cogunt
Moliri, & late fines custode tueri.

Nihil

Nihilominus gravitatem quandam adhibeat Princeps, quo minus temere omnia credat, aut quibusvis moveatur, aut sibi ipsi metum injiciat: verum ita rerum administrationem prudentia & humanitate temperet, ne nimia confidentia incautum aut nimia diffidentia intolerabilem efficiat.

Oritur ex hoc quæstio, *satiusne sit amari quam metui, an metui quam amari?* Vtrumque dici possit esse necessarium: verum difficile cum sit ambo simul conjungi, tutius est (si altero sit carendum) metui quam diligi. Nam de hominibus universe affirmari potest, eos ingratos esse, inconstantes, simulatores, periculorum fugitantes, lucri cupidos: quamdiu de eis bene mereris ac necessitas procul abest, tui omnes sunt studiosi, offerunt sanguinem pro te effundendum, fortunas, vitam, liberos: at periculo premente, ut supra docuimus, confestim desciscunt. Princeps vero, qui ab omni alio apparatu nudus, eorum pollicitationibus verbotenus factis penitus nititur, in præceps fertur: quandoquidem amicitiæ, quæ non animi magnitudine & præstantia sed pretio comparantur, debentur quidem meritis, at eas possidere aut in tempore in usum tuum adhibere non potes. Homines præterea minore respectu offendunt eos qui student ut diligantur, quam qui metuuntur. Nam amor solo officij vinculo continetur: at cum homines omni improbitate laborent, ad quamcunque proprij commodi levem occasionem, vinculum illud rumpunt. Contra metus, formidine perpetua instantis pœnæ, nunquam non animo obversante, retinetur. Ita tamen se metuendum exhibeat Princeps, ut si inde benevolentia non concilietur, odium tamen vitetur. Nam satis pulchre cohærere possunt, timeri, & in odio non esse.

Quod quidem nunquam non erit, si suorum civium & populorum abstineat bonis & mulieribus. Quod si quando in vitam alicujus fuerit animadvertendum, id tunc ne vereatur facere, cum & facti ratio & manifesta causa id exigit. Ante omnia vero abstineat Princeps à fortunis alienis: quia citius parentum cædem oblivioni dant homines, quam fortunarum suarum direptionem. Ad hæc eripiendi aliena nunquam non aderunt causæ. Qui etiam rapinis victitare incipit, perpetuo causas exquiret, quibus alienas opes occupet. Contra, sanguinis effundendi rariores sunt causæ, citiusque prætereunt atque deficiunt.

Porro Principi jam in exercitu versanti, atque multitudinis militaris curationem habenti statuendum omnino est, ut illo tempore inhumanitatis nomen pro nihilo ducat: quia hujus nominis expers, nunquam exercitum conjunctum, nec ad aliquid aggrediendum instructum retinere potest. Inter alia digna omni admiratione quæ gessit Annibal, illud quoque recensetur, quod cum copiosissimum peneque ex infinitis gentibus compositum haberet exercitum, conductum ut in alienis terris militaret, nulla unquam aut inter se aut in ipsum ducem fuerit suborta seditio: idque constanter, in utraque fortunæ conditione, tum adversæ tum prosperæ, fuisse factum. Quod aliunde proficisci non potuit quam ab illa ejus effera sævitia: quæ una cum infinitis cæteris ejus virtutibus, in conspectu totius exercitus augustum illum atque terribilem reddidit, & sine qua cæteræ virtutes satis non fuissent tantæ rei præstandæ. Cæterum scriptores parum considerate, ejus res gestas admirantur quidem, ex altera tamen parte potissimam earum causam accusant. Reliquas autem illius

vir-

virtutes ad id non fuisse suffecturas, id facile est perspicere in Scipione, viro singularissimo non solum suæ tempestatis verum in omni rerum quæ sciuntur memoria: utpote cujus exercitus in Hispania ab eo desciverunt. Nec vero hoc aliunde fuit profectum, quam ab ea lenitate nimia, qua milites effecerat licentiores, quam militari disciplinæ conveniebat. Id quod postea in Senatu fuit illi exprobratum à Fabio Maximo, Romanæ militiæ corruptorem illum appellante. Locrenses à Scipionis quodam legato eversos ipse non vindicavit, nec de illius sui legati insolentia pœnas sumpsit; quod omne ex illius facilitate ingenij nascebatur: adeo ut illam excusandam in Senatu cum suscepisset, multos, inquit, esse homines, qui melius errata vitare, quam aliorum errata corrigere nossent. Quod ingenium temporis progressu Scipionis & nomen & gloriam violasset, si cum eo in imperio retinendo perseverasset. Sed quia vixit ille sub regimine Senatus, hæc vitiosa ejus affectio non solum latuit verum maximæ gloriæ fuit.

Concludo igitur de metu & amore, quo quis aut diligi aut metui debeat, & sic statuo. Cum homines ad arbitrium suum ament, metuant autem ad Principis voluntatem; Princeps qui sapientia valet, eo quod suæ est non alienæ facultatis debet niti. Illud vero duntaxat omni diligentia curet, ne in odium incurrat, ceu dictum est.

CAPUT XVIII.

Quo pacto fides à Principe sit servanda.

Quam sit omni laude dignum in Principe fidem servare, atque vitæ integritatem sine dolo malo retinere, nemo est qui non intelligat.

Ve-

Verum, cum sint duo genera decertandi, unum jure legum, alterum per vim: cumque illud proprium sit hominis, hoc belluarum; confugiendum ad posterius, si non satis est si utaris primo. Proinde necessarium est, ut Princeps rectum utriusque, & belluæ & hominis, usum teneat. Involucro quodam hæc pars Principibus est à veteribus scriptoribus tradita: asserentibus Achillem compluresque alios ex priscis illis Principibus, Chironi Centauro educandos atque in ejus disciplinam fuisse traditos. In eo enim quod præceptorem mixti generis, & hominis & belluæ, habuisse dicunt, nihil perinde Principi fore necessarium docuerunt, quam utriusque naturæ usum, & quod unum sine altero non sit durabile.

Cum itaque magni referat Principem belluinum ingenium scite induere, ei tum vulpis tum leonis mores assumendi erunt: quia leo sibi à laqueis non cavet, vulpecula vero lupos non cavet. Vt itaque laquei caveantur, vulpeculam agere oportet; lupi vero ut terreantur, leonem. Qui sane simpliciter leonis vestigijs insistunt, ij rem non tenent.

Princeps propterea qui sapientia est præditus, debet ea promissa vitare, quæ suis commodis contraria fore videt. Atqui homines si probi essent omnes, præceptum hoc plane esset inutile: verum cum improbi sint, nec fidem tibi bene servent, non est etiam quare tu illis serves. Nec vero unquam Principibus defuturæ sunt causæ, quibus violatæ jam fidei fucum inducant.

In hanc rem fere infinita possent recentia proferri exempla, atque illis ostendi, quot pacis fœdera, quot promissa & conventa fuerint irrita & vana reddita Principum perfidia. Qui vero vulpinum ingenium melius exprimere potuit, ei felicius omnia ceciderunt. Ve-

Verum hanc naturam plurimum refert ut quis recte norit colore tegere : ut sit magnus simulator ac dissimulator. Homines sane adeo simplices sunt, adeo præsentibus necessitatibus obsequentes, ut si quis fallere velit, statim sit habiturus qui se decipi patiatur. Quo magis tales homines cavendi erunt, eorumque artificium arte frustrandum.

Nolo inter recentia exempla unum reticere. Alexander sextus Papa nihil quam hominum deceptorem egit, nihil quam ad omnem malitiam & fraudem (quo hominum genus falleret) mentem suam exercuit. Nemo in asseverando quid magis fuit efficax, nemo majore jurejurando aliquid affirmavit, & minus præstitit. Nihilo secius doli nunquam non commode ei cesserunt, quia fallendi artem & hosce mores hominum probe callebat.

Proinde non est quod Princeps omnes superius descriptas virtutes habeat: necessarium vero est apparere, quasi habeat. Imo ausim dicere, semper noxium esse, si Princeps illis sit præditus & illos observet ; utile vero, si Princeps simulet se illas possidere. Ut, simulet pietatem, fidem, humanitatem, religionem, integritatem : modo animus ita compositus sit, ut, si opus, possis in contrarium mutare. Sciendum sane, Principem, maxime Principem novum, non posse observare omnia illa ob quæ homines creduntur boni; quoniam sæpissime cogitur agere contra humanitatem, contra caritatem, contra religionem ; ut statum conservet. Quocirca ad omnem ventorum & fortunæ conversionem versatile ingenium Princeps habeat, est necesse : & (ut jam dictum est) ab eo, quod bonum est, ne discedat : at si necessitas urgeat, edoctus sit & malum avertere.

In id itaque Princeps curam diligentiamque omnem adhibeat, ne quid ex ejus ore excidat, quod quinque illis jam numeratis virtutibus non sit refertum; atque ita conspiciendum sese audiendumque exhibeat, ut pietatem, fidem, integritatem, humanitatem, religionem sancte colere videatur. Nihil vero est quod magis præ se ferre oporteat, quam postremam hanc virtutem. In universum quippe homines magis oculis quam manibus judicant: idque quia videre omnibus, attrectare paucis datum est. Nemo non videt qualis tu videaris: at pauci sunt qui, qualis sis, sentiant: illi autem pauci non audent multorum opinioni, qui defenduntur imperij majestate, adversari. In hominum sane, præsertim vero Principum actionibus (ubi nullum habetur constitutum, ad quod vocentur, judicium) rerum eventum plerique expectant.

Vitam igitur Princeps tueatur, curetque statum conservare. Rationes quibus id fit, nunquam non honore laudibusque dignæ existimabuntur. Ducitur namque vulgus perpetuo quasi captivum specie recti & rerum eventu; & nihil fere quam vulgus toto in orbe versatur: pauci vero ibi locum obtinent, ubi plurimi non habent quo nitantur. Princeps quidam nostri temporis, cujus nomini parcendum est, nihil magis laudat, quam Pacem & Fidem; at si unam alteramque harum observasset, næ illæ sæpissime statum ipsius & autoritatem evertissent.

CAPUT XIX.

Principi tum contemptum sui, tum odium, esse fugiendum.

QVoniam de Principis dotibus superius differens mentionem feci duntaxat de ijs, quæ majoris sunt momẽti

reli-

reliquas nunc breviter sub universa quadam tractatione disquiram. Vt Princeps scilicet cogitet (ceu nonnihil superius attigi) ea fugienda, quæ infensum & vilem eum reddere possunt. Quando sane hoc declinaverit, suas partes plane absolvit, neque à cæteris infamiæ notis ullum periculum experietur.

In Odium maxime omnium, ut dixi, adducitur, si fuerit rapax, & usurpator bonorum ac mulierum subditorum suorum. Quibus proinde abstinendum est. Quotiescunque multitudinis parcitur bonis & honori, præclare secum agi ducunt homines: & duntaxat superest oppugnanda ambitio paucorum, quæ multis modis nulloque negotio reprimi potest.

Contemptus quis redditur, si varius, si levis, si effœminatus, si timidus, si denique habeatur animi dubius. Ideoque omnia hæc tanquam scopulos fugere studeat Princeps, adnitaturque, ut in omni administratione rerum, animi magnitudo, spiritus ingens, gravitas, fortitudo eluceat. Apud eos porro qui inter subditos digniores sunt, ita sententiam suam, quam semel pronuntiavit, ratam ac firmam habeat, ut ab ea nunquam deduci aut dimoveri illum posse, hi certo credant. Talem præterea de se opinionem retinere studeat, ut nemo illum aut decipi aut flecti posse, cogitet.

Ille Princeps, qui talem de se opinionem concitavit, semper habetur maximi. In eum vero, quem omnes magnifaciunt, difficilis est conjuratio, difficilis irruptio: modo fama ferat, eum apud suos excellere & summa veneratione coli. Duplici enim metu teneri Principem oportet: altero interiore & domestico, subditorum causa; altero exteriore propter potentes extraneos. Ab hoc se as-

ferit idoneis armis & fidis amicis. Arma idonea autem si adsint, nunquam non bonos amicos habebit: & domi firma erunt semper omnia, si firma sint quæ foris geruntur; nisi sane aliqua perturbentur conjuratione. Si tamen quid novarum rerum agitetur, is qui ita instructus est, quique vitæ rationem talem instituit qualem præscripsimus, semper (modo seipsum non deserat) omnem impetum feret ac sustinebit. Quemadmodum Nabidem Spartiatam fecisse diximus.

At à subditis, si quando externa quiescunt, illud timendum est, ne qua per eos conjuratio fiat. Ab illa autem Princeps se facile securum vindicabit, contemptu & odio vitato, & si populus per eum cumulate sibi satisfactum asserat; quod consequi (ut latius supra patuit) necessarium est. Omnium vero remediorum contra conjurationem maximum Principi est, odij & contemptus à multitudine vitatio. Semper enim is qui in aliquem conspirat, sibi persuadet, Principis morte populo se satisfacturum. Si in ea autem fuerit opinione, ut credat id fore apud populum sibi offensioni, in animum non adducet; quia conjurantibus quæ imminent difficultates pene infinitæ sunt. Reipsa profecto cernitur, multos quidem conjurasse: quibus vero feliciter cesserit paucos admodum fuisse. Qui scilicet conjurat, nec solus esse, nec socium sibi asciscere potest, nisi ex ijs quos esse offensos existimat. Verum ubi primum offenso cuipiam animi tui consilium aperueris, facultatem illi concedis, qua sibi cumulate satisfieri possit: quandoquidem detecto animi tui cogitato, omnia sibi inde commoda polliceri potest. Ab una nempe parte quæstum certum cū videat, ab altera vero incerta omnia & periculi plena, par est, ut aut

rarus

ratus sit amicus, aut, ut tibi fidem servet, pervicaci odio in Principem sit affectus.

Vt rem ad pauca redigam, ita pronuncio. Conjuratorum partes metum, solicitudinem, pœnæ formidinem, perpetuos comites habent. At à Principis partibus stant Principatus majestas, leges, defensiones ab amicis & tota provincia: quæ omnia adeo illum tutum reddunt, ut si his accedat popularis benevolentia, fieri non possit, ut quis adeo temerarius sit, ut conspirare velit. Nam fere assolet, ut cum ante admissum facinus sit conjurato timendum, in hac re etiam post patratum scelus etiam sit illi timescendum: quia jam ob commissum facinus infensam habeat multitudinem, ac propterea nullum possit sperare perfugii locum.

Hujus rei possent infinita exempla proferri: sed illo uno, quod patrum nostrorum memoria contigit, contentus esse volo. Annibale Bentivolo, hujus Annibalis qui nunc est avo, qui Princeps erat Bononiensium, à Canneschis, qui in illum conjurarant, interfecto, nec ulla ex illo, quam Joanne tunc in cunis agente, relicta prole; statim à patrato homicidio excitata est multitudo, quæ totam Canneschorum familiam cæde sustulit. Quod sane à populari illa in Bentivolam gentem, qua illa tum fruebatur, benevolentia profectum esse constat. Quæ sane tanta fuit, ut cum nemo ad Principatum regendum superesset, indicio accepto, quod Florentiæ esset qui è Bentivolorum gente genus duceret, ad illud usque tempus fabri filius habitus, illum accersitum eo profecti sint Bononienses, eique suæ civitatis administrationem detulerint: quam ille tamdiu est moderatus, donec Joannes ad ætatem imperio regendo idoneam pervenisset.

Dico itaque: conjurationes omnes Principi parvifaciendas esse, ubi populi in eum fuerit propensa voluntas: at eo infenso & inimico, omnia sunt Principi & ab omnibus timenda. Principatus præterea bene constituti, Principesque sapientes omni diligenti cura statuerunt, ne viri primarij ad desperationem adigantur, útque populi desiderijs satisfiat. Et vero hæc omnium gravissima est materia, quam tractet Princeps.

Inter ea regna, quæ hac nostra ætate bene constituta prudenterque curantur, Galliarum regnum numeratur. In quo sane plurimæ sunt sapientes constitutiones, à quibus Regis & libertas, & securitas pendet. Horum primum est Parlamentum, ejusque authoritas. Quandoquidem qui illud regnum instituit, cognita potentum ambitione eorumque insolentia, censuit illius ori aliquod frenum esse imponendum. Ex altera parte animadvertens odium multitudinis in potentiores metui duntaxat inniti, cupiensque eos securos reddere, noluit hanc curam Regi committere, ut ille omni apud regni proceres liberaretur invidia, si multitudini faveret, & apud multitudinem, si procerum partes complecteretur. Ob id tertium quendam constituit judicem, qui sine Regis invidia Proceres cæderet, & tenuiores tueretur. Nihil sane melius, nihil sapientius decerni potuit: nec regni, aut ipsius Regis major est securitatis causa. Hinc vero alterum quid notatu dignum elicitur: ut nimirum ea Princeps quæ invidiam parere possint per alios curare jubeat, sibi vero quæ grata sunt reservet. Conclusum igitur denuo sit; existimationem procerum Principi in pretio esse habendam, ita tamen ne populi sibi odium conciliet.

Complutibus fortasse qui legerunt vitas & mortes

Impe-

Imperatorũ Romanorum, videri possunt illorũ huic meæ opinioni repugnare exempla: quia nonnulli aliquem invenerint, qui, etsi egregie vixerit, & ingentem animi magnitudinem præ se tulerit, imperium tamen amiserit, aut à suis, qui in illum conspirarunt, fuerit interfectus. Cupiens itaq; ad hæc, quæ objecta sunt respondere, in nonnullorum Imperatorum mores & ingenium disquiram, & causam cur perierint examinabo, eam verò esse non dissimilem his, quæ proposita sunt, ostendam. Tum consideranda proponam, quænam digna sunt notari ab ijs qui res gestas illorum temporum legunt. Volo vero ulterius eos omnes Imperatores oratione complecti, quibus imperij successio obvenit, à Marco Philosopho ad Maximinum usque initio ducto: qui sunt Marcus, ejusque filius Commodus, Pertinax, Julianus, Severus & Antoninus Caracalla ejus filius, Macrinus, Heliogabalus, Alexander, & Maximinus.

Illud principio observandum est, cum in omni alio Principatu unicum certamen soleat esse cum procerum ambitione & populi insolentia, Romanos Imperatores tertia quadam affectos esse difficultate, quod illis ferenda fuerit militum crudelitas & avaritia: idque cum difficile esset, causam exitij multis attulisse. Et vero factu haud facile est, militum & populi votis satisfacere, quia populus quietem amat, ob idque Principes amat modestos: milites vero amant eos, qui animo bellicoso, insolenti, crudeli, & rapace sunt insignes. Hæc omnia sane Romanus miles in populum cupiebat ab Imperatoribus exerceri, quo duplicata stipendia habere & avaritiam & sævitiam suam explere possent. Hinc factum est, ut illi Imperatores, qui eam de se natura vel arte partam opinio-

nionem non attulerunt, qua utrumque hominum genus freno posset compesci, corruerint atque oppressi sint. Ast eorum maxima pars (illi præsertim, qui novi principatum inierunt) perspecta difficultate utriusque illius diversi ingenij, eo animum inclinavit, ut militibus gratificaretur, injurias populi parvi faciens. Quod consilium necessarium fuit: quia cum Principes vitare non possent, quin in aliquorum odium incurrerent, illud inprimis contendendum fuit, ut multitudinem sibi infensam facerent: id autem si obtinere non possent, in id omnium maxime incumbendum fuit, ut ejus multitudinis offensionem declinarent, quæ erat potentior. Hac sane de causa Imperatores, qui ob principatus novitatem studijs & favore extra ordinem opus habebant, militibus libentius, quam populo sese adjunxerunt. Id in tantum vel damnum vel commodum illis attulit, inquantum Princeps ipse dignitatem suam & auctoritatem retinendi peritus fuit.

Hisce de causis factum est, quod Marcus, Pertinax, Alexander, viri modestæ vitæ & justitiæ cultores, crudelitatis hostes, humanitate & comitate præditi, tristeis exitus sint consequuti. Præter unum Marcum, qui honorate vixit, & obijt; idq; quoniam Imperij successio hæreditario jure ei obtigisset, eoque non esset cur ille aut militibus aut populo illud acceptũ ferret; cum tanto præterea virtutum comitatu, quæ illum venerandum & augustum effecerant, septus esset. Semper sane quoad vixit, utrumque ordinem, ab omni odio & sui contemptu liber, intra officij fines continuit. At Pertinax repugnante exercitu fuerat ad imperiũ evectus: qui, cum sub Commodo assuetus esset dissolute vivere, non poterat id genus honestæ vitæ, ad quod illum Pertinax cupiebat adduci, æquo animo ferre. Hinc

sane

sane odio sibi eorum conflato, cum illi odio contemptus (quod jam senex esset) accessisset, inter initia delati imperij concidit. Vnde & illud animadvertere licet, honestæ æque ac turpis vitæ factis odium conciliari. Quocirca (ceu supra dictum) Princeps qui imperium salvum velit, cogitur nonnunquam esse non bonus: quandoquidem si multitudo, aut populi, aut militum, aut optimatum, cujus opera ad imperium sustinendum te indigere cognoscis, fuerit depravata, obsequi ejus studio atque illi morem gerere necesse est. Quo tempore quæ factu honesta Principi vehementer sunt contraria.

Sed veniamus ad Alexandrum; in quo vis tanta extitit probitatis, ut inter alias laudes quæ illi tribuuntur, illa censeatur, quod toto illo quatuordecim annorum spatio, quo imperium fuit moderatus, nemo indicta causa fuerit interfectus. Nihilominus cum effœminati animi fuerit habitus, & qui maternis consilijs sineret se duci, ob id in contemptum delapsus, ab exercitu in eum conspirante fuit interfectus.

Nunc vicissim mores & ingenium Commodi, Severi, Antonini Caracallæ, & Maximini examinantes, atrocissimos illos deprehendimus ac rapinis inhiantes. Hi ut militum cupiditatem explerent, à nullo injuriarum genere, quod in populum committi potest, abstinuerunt: omnibus tamen, Severo excepto, tristes obtigerunt vitæ exitus. Severus enim tanta excelluit animi virtute, ut postquam militum animos in se propensos continuisset, tametsi populus esset à se duriter oppressus, potuerit tamen imperium feliciter semperque retinere. Illius namque virtutes ita illum in conspectu cum exercitus tum reliqui populi suspiciendum effecerunt, ut hi attonitis quo-

dammodo hærentes animis & stupore perculsi, illi vero ejus reverentia tacti atque satis contenti, æque quiescerent.

Et quoniam hujus res gestæ præclaræ fuerunt in Principe novo, paucis ostendam, quam pulchre vulpeculæ personam & leonis in usum suum induerit: quorum ingenia & naturam Principi imitanda (ut dixi) existimo.

Severus cognita Iuliani Imperatoris ignavia, persuasit exercitui, cujus ipse in Illyrio ductor erat, optimum fore, ut Romam Pertinacis Imperatoris cædem vindicaturi proficiscerentur, qui à prætoriano milite erat interfectus. Hac itaque specie, ne ad Imperium aspirare videretur, exercitus contra Romam movit: ac prius in Italiam venit, quam de illius discessu fuerit rescitum. Cum Romam venisset, Senatus metu adductus Imperatorem illum, Iuliano vita functo, declaravit. Post hæc, duo superfuerunt Severo ad absolutum imperium occupandum: alterum in Asia, ubi Niger exercituum Asiæ præfectus Imperatorem & ipse se salutare jusserat: alterum in occidente ab Albino, qui itidem ad Imperium aspirabat. Verum cum perspiceret periculosum fore, si se utrique hostem declararet, statuit Nigrum adoriri, Albinum autem dolo circumvenire. Ad hunc propterea literas dedit: cum ab Senatu Imperij procuratio fuerit sibi delata, se statuisse eam dignitatem utrique communem facere: atque Cæsaris titulo ad illum misso, ex Senatus decreto illum collegam sibi adjunxit. Quæ omnia ab Albino pro veris bona fide fuerunt accepta. At Severus, devicto atque interfecto Nigro, Orientisque rebus probe compositis, Romam reversus, contra Albinum, (quasi beneficij à se accepti

cepti immemor, suam cædem per proditionem esset molitus) apud Senatum conquestus est, ob idque esse necessarium, ut eo se conferat de illius ingratitudine meritas pœnas sumpturus. Inde ergo in Galliam profectus, una cum Imperio vitam illi ademit. Qui itaque hujus viri res gestas exacte animo reputaverit, eum leonem ferocissimum dicet, vulpeculamque astutissimam: eumque & timore & reverentia ab omnibus fuisse cultum, ab exercitu autem nec spretum, nec contemptum unquam fuisse, intelliget: desinetque mirari, quod homo novus tamdiu Imperium retinere potuerit. Summa nempe ejus existimatio semper illum à populi odio, quod ex rapinis in se concipi potuisset, vindicavit.

Ejus filius Antoninus, vir itidem præstantissimus habitus est: ac multis rebus excelluit, quæ illum & in omnis populi conspectu admirandum reddiderunt, & exercitui summe gratum. Erat enim vir plane bellicosus, omnium laborum patientissimus, & qui omnem ciborum lautitiam vitæq; mollitiē universam summopere aspernaretur. Quod militum animos erga se benevolos ac propensos effecit. Nihilominus tanta ejus fuit ferocia & tam inaudita crudelitas (nam propter multiplices prætextus majorem populi Romani partem, Alexandrinā vero universam multitudinem, cæde sustulit) ut omnium pene mortalium in se concitarit odium: cœperitque ijs etiam terrori esse, qui illum antehac sepserant; sic, ut à centurione in medio sui exercitus fuerit interfectus.

Qua in re illud considerandum venit, id generis cædes, quæ ab obfirmati & obstinati animi proposito accidunt, vitari à Principe non posse. Qui nempe instructus est ad mortem contemnendam, ei factu perquam proclive id

fuerit. Verum hoc mortis genus minus est Principi timendum, quod longe rarissimum sit. Videndum est duntaxat, ne quempiam ex ijs gravi injuria lacessat, quorum opera ipse utitur, quosque ad imperij procurationem circa se retinet. Quod fecit Antoninus; qui Centurionis prædicti fratrem contumeliosissime interfecerat, ipsique quotidie minabatur, & nihilominus illum inter sui corporis stipatores retinebat. Cujus quidem consilij ratio temeraria erat, atque (uti postea accidit) in ea pereundum illi fuit.

Sed ad Commodum nostra redeat oratio. Is nullo fere negotio Imperium retinere poterat; quia illud jure hereditario, quod Marci filius esset, ipsi obtigerat: satisque fuisset si paternis vestigijs institisset, quâ re universo populo & militi fuisset cumulatissime satisfactum. At animo truculento cum esset & effero, totum se convertit ad exercitus, quem licentiorem effecerat, gratiam retinendam, quo suas posset in populo exercere rapinas. Cæterum diversa parte dignitatem suam cum non tueretur, in theatra cum gladiatoribus decertaturus sæpenumero descendens, aliaque indignissima Imperij majestate admittens, despicabilem prorsus in militum conspectum se præbuit: eoque cum uni parti odio esset, alteri contemptui, in eum conspiratum est, & fuit interfectus.

Reliquum est, ut de Maximini ingenio disseramus. Is bellicosissimus fuit; cumque Alexandri, de quo superius narravimus, mollicies esset exercitui fastidio, hoc vita functo, ad Imperium est evectus. Quod tamen non diu retinuit. Nam duo illum infensum ac contemnendum effecerant. Alterum, quod ignobilissimus esset. Paverat enim ovium gregem in Thracia; quæ res ubique gentium

erat

erat notissima, atque ob id efficiebat illum omnibus despectum. Alterum erat, quod primo statim ingressu sui Principatus, cum Romanam profectionem distulisset, & in possessionem Imperij venisset, de sese opinionem crudelitatis attulerit: idque quia & Romæ, & per totam Imperij ditionem, ab ejus præfectis multiplici immanitate sævitũ graviter esset. Sic, ut toto pene orbe, tum contemptu in eum ex generis obscuritate, tum odio ex metu efferati ingenij permoto, primum Aphrica, deinde Senatus una cum universo populo Romano, atque Italia tota, in illum conspirarint. Quibus junxit sese proprius ejus exercitus: qui ad Aquileiam cum esset in castris, expugnationem difficiliorem nactus, illiusque sævitiæ pertæsus, tot in illum hostes cum cerneret minus timens, illum interfecit.

Omittam de Heliogabalo, Macrino, ac Iuliano, dicere: qui contempti omnino cum essent, statim fuerunt oppressi. Ad propositæ rei conclusionem vero accedens, ita sentio. Qui nostro tempore sunt Principes, minus hac difficultate premuntur, ut militibus in Imperij sui administratione teneantur extra ordinem satisfacere. Quia etsi illorum aliqua est habenda ratio, id tamen paulo momento definitur, cum nemo horum Principum collectos in unum tales exercitus habeat, qui una cum gubernatione & provinciarum procuratione, uti Imperij Romani exercitus, consenuerunt. Et vero quod tunc militibus potius, quam populo erat satisfaciendum, id accidebat, quod miles quam populus potentior esset. Nunc vero longe magis est necessarium, ut populo mos geratur (Turcarum Imperatore & Ægypti Syriæque Sulthano excepto) quam militibus: quia populus exercitu potentia præstat.

Dico autem, excepto Turcarum Imperatore. Hic enim peditum XII, equitum autem XVI millia semper qui se circumstent, cum teneat, à quibus regni securitas & robur pendet, necessarium est, ut populi neglecta ratione, hos sibi propensos foveat. Huic persimile est Sulthani regnum: quo toto in militum manu constituto, necessarium est, ut & ipse, nulla populorum habita ratione, eos sibi in amicitia firmos reddat. Meretur vero observari, hoc Sulthani regnum longe diversum à cæteris Principatibus esse. Accedit tamen quam maxime ad Christianum Papatum. Quem nec hæreditarium, nec novum appellare possumus: quia Principis demortui liberi superstites nec testamento hæredes relinquuntur, nec Principatus domini; sed ille, qui in eum gradum per eos, penes quos est eligendi potestas, eligi solet. Qui mos quia cum tempore inveteraverit, recens dominatus dici non potest: nec ullâ earum difficultatum afflictatur, quibus novi obnoxij patent. Etsi enim novum est imperium; illius tamen dignitatis decreta antiqua sunt, atque in eum finem facta, ut illum tanquam hereditarium dominum admittant.

Verum ad nostrum redeamus institutum. Si quis, inquam, ea quæ jam supra expendimus, animo reputabit, facile intelliget, quod odium & contemptus calamitatem Imperatorum ante memoratorum effecerit. Perspicuum & illud fiet, quî factum sit, quod eorum nonnulli, administrandi rationem sive hanc sive contrariã sequuti, in utraque parte ejusdem administrandæ rationis alijs felix alijs tristis vitæ finis contigerit. Inutile scilicet fuit imo noxium Pertinaci & Alexandro, cum novi Principes essent Marcum hereditarium Principem imitari voluisse

fuisse. Caracallæ, Commodo, & Maximino perniciosum item fuit Severi vestigijs insistere: quia non tanta præditi erant virtute, quæ ad ejus vestigia implenda satis esset. Quapropter novus Princeps in imperio retinendo non potest Marci res gestas imitari. Nec etiam necessarium est, ea quæ Severus egit imitari. Verum eas Severi parteis amplectatur, quæ ad imperium confirmandum sunt necessariæ: à Marco autem eas mutuetur, quibus imperium jam stabilitum & confirmatum, digne ac gloriose tueri ac sustinere possit.

CAPUT XX.

Sintne arces, & multa alia, quæ à Principibus plerunque fieri solent, utilia an noxia.

QVo tuto dominatum retineant Principes, alii subditos suos armis spoliarunt: alij in factiones discissas urbes subjectas continuerunt: alij inimicitias mutuo foverunt: alij arces extruxerunt: alij arces suas jam extructas everterunt. Nam pauci in id animum intenderunt, ut qui sibi initio Principatus suspecti erant, eos in suam amicitiam adjungerent. Quare etsi de his omnibus definita ferri sententia non possit, nisi ad præcipuam quandam horum Principatuum formam tractanda quæstio deducatur: tamen perinde de ijs orationem instituam, atque subjectæ rei materia patietur.

Nunquam itaque habitum est consultum, ut novus Princeps arma suis detrahat. Imo qui sapit inermes nactus semper armis instruendos curavit. Quia hoc modo arma quibus instruuntur tui juris esse cœperunt: qui tibi suspecti habentur ij fideles evadunt: in fide autem qui hactenus persititerunt illi confirmantur; & quibus jam imperio

præes-

praes tui adhærentes fiunt. Quoniam sane quæ in tuam potestatem cessit multitudo universa armari non potest, si de ijs qui jam armis sunt instructi bene merearis, securius cum reliquis agere potes. Et diversitas illa habendi, eos qui liberaliorem te erga se agnoscunt, tibi devinctos reddit: reliquis excusationem pro te defendendo exprimit, judicantibus necessarium esse, qui periculorum plus subeunt & oneris eos etiam videri plus jure meritos esse. Verum cum arma detrahis, jam illis injurius esse incipis, atque ostendis, quod vel animi tui abjectione, vel in eos exigua fide, illis omnino diffidas. quarum opinionum utraque odium in te concitat. Cum enim sine armis esse nequeas, ad mercenariam militiam te convertere cogêris, quæ cujus sit naturæ supra disseruimus. Et vero hæc etsi bona esset, non ea tamen est virtute, quæ te à præpotentibus hostibus & ab ea quam suspectam habes multitudine tueri possit. Quocirca novus Princeps (ut dixi) in novo cui præest Principatu nunquam non sic disposita habeat arma. Harum autem rerum exemplis historiæ pene omnes sunt refertæ.

At si Princeps nova aliqua provincia augeatur, quæ veluti pars veteri suo adjungitur imperio, tunc necessarium est, ut sic parta provincia armis exuatur; illis exceptis, qui in ea occupanda tui se studiosos declararunt. Hi enim temporis progressu & per occasionem molles reddendi sunt & effœminati. Ita vero sese comparet Princeps, ut totius ditionis arma in ijs militibus collocentur, qui proprij sunt, & qui in veteri Principatu vitam apud te traducunt.

Majoros nostros, & qui sapientes habebantur, solitos dicere accepimus: Pistoriensium civitatē factionibus,

Pisas

Pisas vero arcibus retinendas esse. Hinc factum est, ut in nonnullis urbibus eorum imperio subjectis, dissidia foverint, quo earum possessionem facilius retinerent. Quod recte factum esse poterat, dum Italia quodammodo bilance temperata erat; at hoc tempore id præceptum præscribi posse non arbitror: quia dissidia aliquid commodi ex se unquam parere non puto. Imo necessarium est, ut ad hostium accessum urbes factionibus distractæ statim amittantur: quia semper debilior pars viribus externis sese adjunget, altera autem se nec tueri nec sustinere poterit.

Veneti superioribus rationibus adducti (ut ego existimo) Guelforum factiones & Gibellinorũ in civitatibus sui imperij aluerunt: & tametsi nunquam permitterent, ut in cædes faciendas erumperent, nihilominus hujusmodi dissensiones foverunt, ut sic controversijs occupati populi, in sese motum nullum excitarent. Quod, uti postea patuit, ex sententia illis non cessit. Nam ad castellum, quod Valla appellatur, cum essent fracti, statim partium altera audentior facta omne imperium illis ademit.

Hæ rationes igitur administrandi Principis imbecillitatem arguunt: quandoquidem viribus potens Principatus, nunquam id generis urbium distractiones feret. Pacis tempore duntaxat usui esse possunt; cum per eas facilius, qui in tua sunt potestate, homines regi possint: at bellum si instet, tunc suam declarat id genus consilij fraudem. Haud dubie superando difficultates & quæ struuntur res adversas, clari evadunt Principes. Ob id fortuna, præsertim cum aliquem Principem novum vult evehere, qui majorem quam hereditarius Princeps existimationem sibi parandi necessitatem habet, hostes excitat, &

contra parat expeditiones: quo illæ ex oblata occasione superentur, atque super scala illa qua hostes quem attulerunt altius ascendatur. Quare multi sentiunt, rerum peritum Principem, si quando occasio datur, astu aliquid inimicitiarum in se alere debere, ut illis oppressis, major nominis subsequatur dignitas & amplitudo.

Nacti sunt majorem fidem & utilitatem Principes, præsertim novi, in ijs, qui in principatu incundo judicabantur suspecti, quam in ijs, quibus maxime initio confidebant. Pandulfus Petruccius Senensium Princeps per eos magis principatum administrabat, quos suspectos habuit, quam per quosvis alios. Verum de hac administrandi ratione, quia ex subjectæ rei natura varia est, haud quaquam fusius disserere possum. Illud duntaxat dictum velim: si homines, qui initio principatus hostes fuerunt, ejus generis sunt, ut quo se sustineant auxilio indigeant, nunquam non Princeps perquam facile poterit eos sibi amicos conciliare; ipsi vero coguntur Principi inservire, quia norunt opinionem de se inique conceptam factis deleri debere. Ita fit, ut major ab his fructus ad Principem redeat, quam ab ijs, qui nimia securitate illi inservientes res illius negligunt.

Cæterum postquam res ipsa postulat, prætermittere nolo in memoriam revocare Principi, cui nuper provincialium favore parta est aliqua provincia, ut probe consideret, quæ causa illo impulerit, ut sibi faverent. Atque si studium illud in se, non à naturæ quadã propensione profectum esse cognoscat, sed tantum quod prior administrandi ratio non placeret, tunc plurimum negotij & difficultatis erit, eos in amicitia posse retinere. Vt enim illis Princeps satisfaciat, fieri non potest. Atque hujus rei cau-

sa per ea exempla, quæ ex vetustis & recentioribus rebus colligi solent, perspecta & examinata, intelligo Princeps: longe facilius eos in suam amicitiam pertrahi posse, qui priore dominatu contenti erant, & propterea hostes in se fuerunt, quam eos, qui quod illis prior status displicebat, in Principis amicitiam inclinarunt, atque ad eam provinciam occupandam studium omne & favorem ei præstiterunt.

Consuetudo invaluerat apud Principes, quo tutius principatum obtinerent, arces erigere, quæ essent tanquam habenæ & frena apta compescere illos, qui in se aliquid vellent moliri: atque in repentino quoq; & primo impetu securum, quo se reciperent, perfugium. Equidem consilium hoc, quia jam vetustum & usitatum est, improbare nolo. Nihilo secius ætate nostra vidimus Nicolaum Vitellium duas quæ in urbe Castillo erant arces, ut ditionem illam retineret, diruisse. Guidus Vbaldus Vrbinatium Dux, in ditionem suam unde à Cæsare Borgia fuerat ejectus restitutus, omneis illius provinciæ arces funditus evertit, & existimavit illis eversis difficilius provinciam illam iterum amitti posse. Bentivoli Bononia recuperata eadem consilia sunt sequuti. Ex temporum itaque varia conditione arces sunt vel non sunt usui: si qua autem in parte quid boni inde ad te redit, in altera maxime lædunt.

Hoc vero sic examinare licet. Princeps, qui subditos suos magis quam externos timet, arces debet erigere: at qui sibi ab externis magis quam à suo populo metuit, is illas prætermittere debet. Plus sane bellorum intulit illaturumque est Sfortianorum familiæ Mediolani à Francisco Sfortia extructum castrum, quam quodvis aliud in illo statu com-

tu com-

tu commissum erratum. Proinde propugnaculum quovis alio firmius est, subditorum odio carere. Nam qui in odium sui populi incurrit, tametsi munitissimas possideat eum tamen arces liberare non possunt. Populo enim, cum arma ceperit, nunquam deerunt qui suppetias ferant exteri. Nunquam ætate nostra observatum est, Principum cuiquam arces profuisse, præterquam uni Catharinæ Foroliviensium dominæ, eo tempore quo Hieronymus eius vir erat mortuus. Potuit enim per illam quam tenebat arcem, popularem impetum effugere, subsidium Mediolanensium expectare, & ditionem universam recuperare: idque quoniam temporum talis erat tunc conditio, ut alienus Princeps non posset auxilio esse populo. Verum illi tamen non profuit, cum in illam Cæsar Borgia impressionem faceret, ac populus infestus extero Principi illius inimico est adjunctus. Quare securius illi fuisset, & tunc temporis, & prius, in populi odium non incurrere quam arces possidere.

His itaque perspectis, probabo equidem, cum qui arces condunt, tum qui de illis non admodum laborant: accusabo tamen eos, qui illis confisi parum aut nihil ducunt in populi odio esse.

CAPVT XXI.

Quo pacto Princeps gerere se debeat, ut existimationem sibi comparet.

NVlla re magis Princeps commendatur, quam grandi aliqua facta expeditione, & raro exemplo aliis præbito. Hac nostra ætate Ferdinandum Arragoniæ nunc Hispaniæ regem habemus. Eum fere novum Principem dicere quis possit: quia ex imbecillo Rege eo & famæ & glo-

gloriæ processit, ut inter Christianorum Reges facile primus evaserit. Et vero si illius res gestas spectes, maximas utique & extra ordinem omnes illas deprehendes. Initio enim sui imperij Granatense regnum invasit, quæ expeditio illi fundamentum status extitit. Eam primam otiosus, & ab omni, qua posset impediri, interpellatione securus confecit. Castellanorum vero procerum animos occupatos in ea continuit: qui in id bellum intenti, ab innovandis rebus animum avocabant: ipse autem & authoritatem & imperium in eos, nec opinantes, interim sibi comparabat. Potuit suum exercitum sacris & populi pecunijs alere, atque diutino illo bello ad militiam suam firmandam (quæ postea celebrem illum reddidit) fundamenta jacere. Ad hæc ut majora aggredi posset, Religionis nomen perpetuo prætexens, ad piam quandam sævitiam animum convertit, Maranis è toto regno ejectis, exemplo valde mirabili & valde raro. Hoc etiam pallio tectus, Aphricam est aggressus, in Italiam expeditionem confecit, postremo Galliam est adortus. Atque ita semper res ingentes molitus, quibus subditorum suorum animos suspensos, & admiratione obstupefactos, atque rerum eventu occupatos detinuit. Hæ autem illius res gestæ, ita aliæ ex alijs enatæ sunt, ut nullum quiescendi, nullum sui oppugnandi spatium hominibus reliquerit.

Plurimum item refert, Principem rara de se exempla in urbana administratione præbere, similia iis quæ de Bernardo Mediolanensi narrantur: cum occasio sese offert in vita civili, opus aliquod, præter morem vel honeste vel turpiter gestum, vel præmio cohonestandi, vel supplicio afficiendi, ita ut de eo multum diuque loquantur homines.

Illud inprimis diligenter studeat Princeps, ut in omni vita sua famam existimationemque de se magni & excellentis viri excitet.

Eo etiam nomine commendatur Princeps, quando se ostendit vere amicum & vere inimicum: hoc est, si sine omni respectu fautorem alicui contra quemvis alium sese præbet. Quod consilium utilius semper est, quam velle in neutram partium inclinare. Nam si duo potentes vicini tui inter se confligant, qualescunque illi fuerint (sive altero debellato sit tibi à victore timendum, sive non) utilius semper erit in utraque conditione, si te patefacias atque apertum bellum geras.

Quoniam primo casu, nisi te aperias, semper ejus cui victoria cesserit eris præda, maxima cum ipsiusmet victi voluptate. Nec ullum jus ullamve rationem habebis, qua aut defendi aut recipi possis: quia victor suspectos amicos, quique in rebus adversis auxilio sibi esse nolunt, negliget: qui autem victus jacet, cum tu armis arreptis ejus aleam sequi nolueris, te nunquam recipiet. In Græciam Antiochus transmiserat, ab Ætolis, ut inde Romanos expellerent, inductus. Legatos ad Achæos Romanorum amicos misit, hortatum ut neutram in partem inclinarent. Vicissim Romani eis suadebant, ut arma pro se caperent. Res in Senatum Achæorum deliberanda deducta est. Ibi Antiochi legatus, ut neutram partium sequerentur, eis suadebat: contra Romanus legatus excipiens; Id, inquit, quod optimum, atque ex usu vestræ Reipub. maxime fore isti dicunt, ne vos scilicet hoc nostro bello implicemini, illo nihil est quod vobis magis sit contrarium, quandoquidem si absque gratia atque existimatione bello abstinueritis, victori præmium reliquum eritis. Nunquam non fit,

fit, ut qui tibi haud amicus est non contendat à te, ut neutrius partis esse velis: at amicus qui est à te petet, ut arreptis armis palam prodeas. Principes vero qui sunt animi dubij, ut ea præsentia pericula vitent, sæpenumero eã sequuntur viã ut neutri habeantur: quo fit ut non raro periclitentur. Verum cum Princeps audacter alterius partis fautorem te ostendis, si is, cui te junxisti victor evaserit, tametsi ille præpotens sit, & tu ad ejus arbitrium relinquaris, nihilominus habes tibi illum obligatum, & amor tui jam contractus est, & homines præterea non adeo inhonesti sunt & iniqui, ut tanto ingratitudinis exemplo te opprimant. Ad hæc, victoriæ ipsæ non ita feliciter parantur, quin victor aliquam cogatur habere rationem justitiæ & æquitatis. Porro si is cui adhæres victoria cadat, recipieris tamen ab eo, & ille, quoad fuerit facultas, nunquam non aderit suppetias laturus; fis etiam socius ejusmodi fortunæ, quæ iterum aliquando erigi potest.

Secundo casu, si illi qui armis congrediuntur, tales sunt, ut tibi ab altera partium, quæ victoriam est consequuta, non sit timendum, majoris etiam prudentiæ est te eorum alteri adjungere: quia unius auxilio ad alterius excidium accedis, qui alter ab altero, si saperet, servandus erat; sic, ut adepta victoria tuæ is relinquatur voluntati, nec fieri potest quin tuo subsidio fultus victor evadat.

Hic autem Principi cavendum est, ne, ut dixi, alium offensurus, societatem ineat cum eo, quem se potentiorem agnoscit; nisi cogat necessitas. Illius enim arbitrio (quod plane Principibus omnibus obnixe fugiendum) relinquitur tractandus. Societatem Veneti cum Gallis inierunt contra Mediolanensium Ducem, quod tamen fœ-

dus

dus ne fieret vitari poterat: id autem postea attulit eis calamitatem & exitium. At si evitari non potest (uti accidit Florentinis, cum Pontifex & Hispani Lombardiam cum exercitu sunt adorti) tunc Princeps in alteram partium, ob eas quas commemoravimus causas, descendere non recuset.

Nec tamen quisquam sibi persuadeat, in ijs rebus certum consilium semper capi posse: imo omnia ambigua cogitet capessenda, quandoquidem in ordine rerum id maxime cernitur, ut, quo quis studiosius discrimen unum declinare contendit, eo magis in alterum incurrat. Verum prudentia collocata est in eo, uti quis discriminis naturam prospiciat, atque, adversum quod est, id tanquam ad rem præsentem commodum arripiat.

Virtutum præterea amatorem ostendere se debet Princeps, ac in unaquaque arte excellentes viros honorare.

Ad hæc civibus suis animum addat, ut sperent se tranquille sua negotia, tum in mercaturis, tum in agris colendis, & in quocunque alio hominum commercio exercere posse: ne alij à possessionum cultu direptionis metu, alij ab instituenda nova aliqua mercatura tributorum magnitudine deterriti, abstineant. Quinimo præmia ijs constituat, qui aut hæc faciunt, aut civitatem & ditionem quacunque ratione augere cupiunt.

Congruis item anni temporibus populum detineat ludis & spectaculis occupatum.

Si porro civitas in artificum collegia, aut in tribus sit distributa, eorum coetus Princeps in honore curet apud se habendos: unaque cum ipsis nonnunquam sese socians, humanitatis & magnificentiæ specimen de se illis dare studeat,

Suæ

Suæ tamen dignitatis majestatem perpetuo ac constanter retineat. Hæc enim nulla in re, neque ullam ob rem, prætermitti aut negligi debet.

CAPVT XXII.

De ijs qui Principibus sunt à secretis consiliis.

NOn est minimum Principi momentum situm in ministrorum delectu: quales sunt boni aut non boni, juxta Principis prudentiam. Prima sane omnium, quas de Principe ducunt homines conjecturarum, ab ijs potissimum capitur qui circum illum versantur. Qui si rerum periti & fide præditi sint, semper & ipse prudens existimari potest; quod scil. optime noverit dijudicare idoneos, potueritque eos sibi fideles retinere: secus autem si fuerit, nunquam non sinistre de eo judicari poterit. Vt primum erratum, quod admittit Princeps, in illo delectu maxime committatur. Nemo erat, qui Antonium Venafrum Pandolfi Petruccij Senensium Principis ministrum cognoscens, non arbitraretur, Pandolfum summæ esse prudentię virum quod apud se talem teneret ministrum. Sane quia triplex hominum est genus; quorum unum per se intelligit, alterum cum fuerit ei monstratum, tertium ne admonitum quidem nedum per se id præstare potest, primumque illud excellentissimum, secundum excellens, tertium vero sit inutile: necessum utique erat, ut Pandolfus si non primum at certe secundum obtineret gradum. Et vero quando quis ea quæ fiunt quæque dicuntur recta & prava suo judicio discernere potest, tametsi inveniendi aut excogitandi rationem non habeat, quæ recte turpiterve à ministro tamen gerantur facile percipit: & dum illa qui-

dem effert, hæc vero deprimendo corrigit, minister illum falli posse diffidens in sua perstat probitate.

Vt vero ministri agnosci possit ingenium, modus ille est minime fallax. Cum deprehendis quem sibi magis quam tibi prospectum velle, atque in omnibus rebus gerendis suam quærere utilitatem, hic ita comparatus nunquam probi ministri fungetur officio, nec huic unquam fidere poteris. Qui enim alterius Principatum in manu habet, ille non de se sed de Principis commodo cogitare, nec quid aliud quam quod in rem illius cedit, Principi in mentem debet revocare. Vicissim Principis est quo illum in probitate contineat, de ministro suo cogitare, illum honoribus & divitijs afficere, devincire, honorum item atque obeundorum munerum participem reddere, ut ille multipliciter honore ac divitijs cumulatus alios aut honores aut divitias ne expetat, utque multiplicia munera quæ illi sunt obeunda adigant illum rerum vicissitudinem reformidare, cognito sine Principis favore se consistere non posse.

Cum sic fuerint comparati & Princeps & Minister, facile alter alteri fidere possunt: secus autem, nunquam non perniciosus fuerit vel uni vel alteri exitus.

CAPVT XXIII.

De ratione fugiendi assentatores.

EAm partem atque errorem illum prætermitti nolo: à quo Principes, nisi summa præditi prudentia, & acri muniti in eligendo judicio, vix se tueri possunt: nimirum de assentatoribus: de quibus fugiendis monumenta fere omnia præceptis referta sunt. Homines enim adeo in rebus suis proprijs sibi indulgent, adeoque se falli sinunt, ut vix

ab hac

ab hac hominum peste sibi cavere velint. Si tamen sibi caveant, periculum est ne in contemptum cadant; quia nulla alia ratione ab assentationibus se vendicare quis potest, quam si homines intelligant, se non offensuros, si tibi libere veritatem dicant: at si hoc ab omnibus fieri liberum fuerit, tua imminuetur existimatio.

Princeps propterea qui sapit, tertium quendam modum constituet, eos in suo Principatu eligendo, qui rerum usu periti sunt. Iisque duntaxat permittere Princeps debet veritatem loqui, deque iis tantum rebus, de quibus ipse interrogabit, & non de aliis. De omnibus tamen eos sciscitari debet, eorumque audire sententias, ut ex eorum consiliis, id quod sibi visum fuerit, per se postea constituat. Cum illo Consilio atque cum unoquoque eorum ita se comparet, ut omnes intelligant, quo liberiores fuerint in dicendo, eo se acceptiores fore; Principemque præter ipsos neminem auditurum qui rem jam deliberatam persequi audeat, atque à semel suscepta sententia illũ nulla vi depelli posse. Secus qui fecerit, aut præceps fertur per adulatores, aut sæpius de sententia discedere cogetur propter sententiarum multiplicem varietatem: unde postea exigua nascitur de eo existimatio.

Proferam ad hoc institutum recentis memoriæ exemplum. Pater Lucas, è Maximiliani hoc tempore Imperatoris familia, cum semel de Imperatore illo verba faceret: Maximilianus, inquit, à nemine consilium capit, nec tamen quod cupit unquam efficit. Hoc sane inde fiebat, quod diversam à præscripta rationem teneret. Imperator enim homo est suorum consiliorum tacitus, nemini sui animi secreta detegit, neminem in consilium advocat: at ubi primum inter exequendum ejus consilia aperiuntur,

tunc ab jis, qui illum circumstant, contradici solet: ipse vero, qua est ingenij facilitate, statim à sententia discedit. Hinc fit, ut quod die uno extruit altero convellat: nec quid sibi velit, aut quid animo verset, intelligi potest, nec etiam in ejus deliberationibus ullum fundamentum statui potest.

Quapropter Princeps de omnibus rebus semper consilium capiat, ad suam tamen non aliorum voluntatem; imo omnium animos, à dandis ulla de re consilijs se non rogitante, prorsus avertat. Ipse vero in interrogando creber esse, inque omnibus ad consultandum propositis, se vicissim veritatis patientem auditorem præstare debet, ut si quempiam norit aliquo ad se respectu eam reticere, super ea re maxime succenseat.

Quoniam vero nonnulli arbitrantur Principem, qui de se opinionem prudentiæ affert, talem existimari, non quod ejus sic ferat naturæ præstantia, sed quod virorum prudentum, qui illum circumstant, optimis fulciatur consilijs: hi sane propterea maxime falluntur, quoniam hæc regula generalis est: Principi qui per se non sapit, illi recta consilia non facile dari posse. Fortuito quidem ita contingere posset. Nempe uni cuipiam prudentissimo homini duntaxat se totum regendum tradens, hac ratione optime regeretur. Verum ad exiguum tempus duraturus ille esset in Principatu: quod ille moderator statim ab imperio Principem turbaret. Si vero Princeps rerum imperitus plures uno in consilium adhibeat, nunquam inter se cohærentia habebit consilia, nec ipse per se idoneus erit, ut illa conciliet. Eorum qui sunt ei à consilijs, de proprijs commodis unusquisque cogitabit, ipse vero nec eos cognoscere, nec corrigere poterit. Qui autem illis meliores fu-

res fu-

res futuri sint, non facile inveniri possunt: quia homines in te semper improbi sunt, nisi aliqua vis eos cogat esse probos.

Illud itaque maneat: necessarium esse, ut recta consilia, à quocunque proficiscantur, à Principis nascantur prudentia; non autem Principis prudentia à rectis consilijs derivetur.

CAPVT XXIV.

Qui factum sit, ut nonnulli Italici Principes suos Principatus perdiderint.

SI quæ jam dicta sunt prudenter observentur, fiet ut novus Princeps antiquus videatur; eaque ipsa statim illum securiorem firmioremque in Principatu constituent, quam si in eo consenuisset. Quia Princeps aliquis novus plures habet administrationis suæ observatores, quam is qui hæreditario jure imperat. Quæ rerum procuratio si eum virtute excellere conspici faciat facilius multo homines sibi conciliat, magisque illos devincit, quam aliqua stirpis antiqnitas. Potius enim præsentibus quam præteritis rebus capiuntur homines: & cum præsentia ijs sunt commoda, eorum fructu contenti facile conquiescunt: imo omnem defensionem pro Principe suscipiunt, modò ipse cæteris in rebus sibi non defuerit. Hac ratione sane duplicatam gloriam consequetur: tum quod novum Principatum instituerit, tum quod eundem bonis legibus, bonis armis, bonis amicis, bonis denique exemplis decoraverit & corroborarit: quemadmodum duplicatam ignominiam reportabit, qui Principum sanguine natus sua rerum imperitia illum amisit.

Quod si quis consideraverit eos Principes, qui in Italia hac

lia hac nostra ætate Principatum amiserunt, uti Neapolitanum Regem, & Mediolani Ducem, & id generis alios; animadvertet primo in eis communem quendam in parandis armis defectum, ob rationes quas longo sermone supra sumus persecuti. Deprehendet præterea eorum nonnullos populo suo fuisse invisos: vel si populum amicum habuerunt, ab ijs tamen qui potentiores essent nescivisse securos se reddere. Nunquam sane sine tali labe ea imperia amitti solent, quæ tantum virium habeant quantum sat est ad exercitum in aciem proferendum.

Philippus Macedo (non Alexandri Magni pater, sed qui à T. Quintio superatus fuit) habebat non amplum Principatum, facta comparatione ad Romanorum & Græciæ magnitudinem, qui illum invaserant: nihilominus cum esset vir bellicosus, & peritus continendi populum & se securum à potentioribus reddendi, plures annos contra eos bellum sustinuit: & licet denique nonnullarum civitatum possessionem amiserit, regnum tamen retinuit.

Quapropter hi nostræ ætatis Principes Itali, qui diu suos Principatus tenuerant, non est quod fortunam incusent, si illos amiserint, verum suam socordiam: quia tranquillis temporibus de possibili mutatione nunquam cogitarunt (quod commune est omnium hominum vitium, qui tempestatem dum tranquillitas adest parvi ducunt) adversis temporibus irrumpentibus nulla defensionis cura, turpi fuga sibi consulere cogitarunt, speraruntq; populum, victorum insolentiæ fastidio, se revocaturum. Quod consilium, cum cætera desunt, bonum est: at turpe est ob id unum reliqua remedia negligere. Nunquam sane cadendum est ea spe, ut inventurum putes, qui te postea

erigat

erigat. Id quidem aut nunquam fit; aut si fit, nihil securitatis habet, quia & vilis est defensio, & à tua voluntate non pendet, cum tamen illæ solæ defensiones bonæ certæ ac constantes sint, quæ à te tuaque virtute suspensæ sunt.

CAPVT XXV.

Quantum in rebus humanis fortuna valeat, & qua ratione illi obsisti possit.

HAud mihi ignotum est, ejus sententiæ complures esse ac olim fuisse: ita rerum hujus mundi curationem à Fortuna ac Deo geri, ut ab hominum prudentia nulla ratione corrigi queat; imo nullo posse occurri remedio. Atque ob id existimari possit, in ijs rebus non multum laborandum esse, sed quo Fortuna impellit, eo se ferri permittendum. Hæc opinio magis persuasa fuit his nostris temporibus, propter rerum multiplices conversiones, quæ visæ sunt quotidieque videntur fieri præter omnem humanam conjecturam.

Hoc ego nonnunquam animo cum cogitassem, aliqua ex parte inclinaveram in eandem sententiam. Sed ne liberum arbitrium nostrum extinguatur, existimo verum esse posse, ut altera nostrarum rerum pars Fortunæ arbitratu procuretur, altera tamen vel paulo minus nobis administranda relinquatur. Fortunam sane montano flumini omnia prosternenti comparare soleo, quod cum præceps fertur, in agros effunditur, arbores sternit, & convellit domos, hinc terræ multum abripiens alio idem illud regerit; ut omnia ejus conspectum fugiant, omnia illius furori cedant, sublata omni ratione qua posset reprimi. Nihilominus etsi ita feratur nihil impedit, quo minus homi-

homines tranquillis temporibus possint sibi de obicibus aggeribusque prospicere, ut iterum exundans canalibus defluat, aut impetu represso tam effuse perniciioseque non feratur. Idem accidit de Fortuna; quæ cum vim suam exerit, nulla est ad resistendum instructa virtus: eoque suos impetus convertit, ubi nullos aggeres, nulla impedimenta, quibus sibi obviam iri possit, novit esse extructa.

Iam vero Italiam harum conversionum sedem, & quæ hos motus excivit, si quis consideret, facile intelliget, esse illam vastam quandam & sine aggeribus, sine obicibus desertam terram: quæ si, ceu decebat, convenienti virtute suffulta esset, uti Germaniam Hispaniam Galliam cernimus, hæc inundatio aut in illam non irrupisset, aut tot enormibus mutationibus, ut fecit, illam non affecisset.

Atque de ratione universali qua Fortunæ obsisti possit, hæc sint dicta. Sed ut ad specialiora arctius orationem dirigam, dico; Hunc vel illum Principem hodie videri feliciter agere, cras vero præcipitem ferri; cum tamen ejus nec naturam nec ingenium mutatum videamus. Hoc primum ex ijs, quas supra fusius disquisivimus, causis proficisci arbitror; quod nimirum Princeps qui fortunæ secure incumbit cum illius conversione corruat. Illum etiam felicem existimo; cujus in administrando consilia temporum conditioni respondent: vicissimque infelicem illum puto, à cujus rerum gerendarum procuratione tempora discrepant. Constat enim, homines in ijs rebus, quibus ad finem quem ob oculos propositum habent deducuntur (ut gloriam aut opes) non una ratione procedere: nonnullos circumspecte, alios cum impetu, alios vi, alios arte, alios patienti animo, alios effrenatim: & unumquemque

que his modis inter se repugnantibus eo pervenire posse. Præterea ex duobus qui in agendo in totum seduli versantur, videmus alium quo destinavit pervenire, alium nequaquam; vicissim duos videmus, dum alter est circumspectus alter impetuosus, æque felices fieri. Quæ res aliunde non manat, quam à temporum conditione, quæ cum eorum agendi modis vel consentit vel repugnat. Hinc oritur quod jam dixi, ut duo aliquando, qui pugnantibus consilijs aliquid conantur, eundem pene exitum sortiantur: ut duorum item in quippiam æque incumbentium, alter finem assequatur alter non. Hinc etiam bonorum vicissitudo derivatur. Nam si cui circumspecte & sedato animo sese gerenti, tempora & rerum status ita circumvolvantur, ut ejus administrandi ratio cum illis consentiens sit bona, feliciter omnia contingent: at si tempora & res ipsæ commutentur, ille statim perit, quoniam agendi rationem non mutavit. Nec quisquam reperitur, qui ea prudentia sit præditus, ut sciat cum hac temporum natura consentire; tum quod ab eo ad quod natura impellit abire quis non potest, tum quod non facile sibi quis persuaderi patitur, utile esse ab ea via discedere, in qua perpetuo cursu insistenti sibi nunquam non prospera omnia evenerunt. Quapropter qui circumspecte agit, is cum tempus adest ut impetu feratur ad agendum, impelli non potest: hinc illius casus sequitur. Quod si cum temporum & rerum conditione naturam commutasset, non etiam fortuna mutasset.

Iulius II Papa in unaquaque re, quam suscepit agendam, impetuose gessit se; reperitque temporum & rerum statum cum sua agendi ratione consentientem: hinc semper felicem exitum fuit consequutus. Perpendatur pri-

mum expeditio illa Bononiensis, instituta vivente adhuc Principe Ioanne Bentivolo. Veneti illam expeditionem ægre ferebant. Inter Hispaniæ æque ac Galliæ Reges de ea expeditione sinistri sermones habebantur. Ipse tamen ea, qua erat ferocia, præsens ad eam expeditionem conficiendam profectus est. Quo motu suspensos reddidit, ac ne quid tentarent continuit & Hispanos & Venetos: hos quidem metu, illos vero spe occupandi totum regnum Neapolitanum. Parte alia Galliæ Regem ad se traxit: qui Rex, cum videret illum jam moventem, cupiens in suam illum amicitiam adjungere, quo facilius Venetos opprimeret, existimavit se non posse sine aperta injuria copias suas ei denegare. Iulius itaque ferox illo suo impetuoso motu ad finem perduxit, quæ nemo unquam Pontificum, quacunque humana prudentia, efficere potuisset. Si sane profectione ex urbe Roma protraxisset aliquot dies, atque omnia rite instituisset (ut quivis alius Pontificum judicasset faciendum) omnem suæ expeditionis felicem successum amisisset. Galliæ enim Rex sexcentas commentus esset tergiversandi vias, reliqui autem infinitis pene illum obruissent terroribus. Omittam reliquas ejus res gestas: quæ omnes cum his similitudine quadam cohærent, & omnes ex animi voto ei contigerunt. Vitæ autem brevitas impedimento fuit, quo minus quæ ijs contraria subsequi potuissent experiretur. Nam si in ea incidisset tempora, in quibus considerate atque circumspecte fuisset agendum, ejus exitium pariter fuisset subsequutum: quandoquidem nunquam ab eo, ad quod ingenio impellebatur, recedendum putasset.

Stet itaque sententia. Quorum hominum obstinata in

pro-

procurandis rebus ratio cum fortunæ vicissitudine pulchre consentit, illi felices sunt: Contra, quorum cum illa dissidet, miseri sunt. Satius tamen esse judico, ferocem esse, quam circumspectum. Fortuna namque fœmina est; & ut quis eam sibi subjiciat, necesse est ut fuste eam subagitet, atque urgeat. Et nemo non videt, eam libentius ab ijs qui ardentiores, quam ab illis qui in agendo frigidi sunt, pati se vinci. Proinde quia fœmina, ea juvenibus semper favet, qui minus circumspecte agunt, magis sunt feroces, & in ipsam etiam fortunam cum magna audacia imperium exercent.

CAPVT XXVI.

Adhortatio ad Italiam à Barbaris liberandam.

QVamobrem perspectis omnibus quæ à nobis supra sunt exposita, animoque versanti, num Italiæ temporum cursus talis esse nunc videatur, ut novum aliquem Principem honore possit afficere, & num quæ sit materia, in quam occasio sit viro virtute & prudentia præstanti, illam formam introducendi, quæ illi honorem & Italicæ genti commune aliquod emolumentum possit afferre: tot tantæque visæ sunt mihi opportunitates concurrere, ut quod aptius hoc extiterit tempus, plane ignorem. Et vero (ut dictum est) Mosis virtus quò perspicua fieret, necesse erat Israeliticum populum in Ægypto servum esse: & ut Cyri magnitudo animi omnibus illustris esset, oportuit Persas à Medis opprimi: ad illustrandam item Thesei excellentiam, referebat Atheniensium gentem dispersim vivere. Sic hoc tempore, ut Italici spiritus virtus aliqua eluceret, necessum fuit Italiam redigi ad hæc extrema, atque magis mancipio teneri quam Hebræos,

asperiori servitute premi quam Persas, longius latiusque dispergi quam Athenienses, sine ullo capite, sine ordine, flagris cæsam, bonis spoliatam, in parteis scissam, undique excussam, atque omne calamitatum genus perpessam. Et quanquam hactenus emicuerit, qui hanc virtutem nonnihil spiraret, sic ut judicari posset, illum ad eam redimendam à Deo fuisse ordinatum: nihilominus perspectum est, in summo illo suarum rerum cursu quo pacto fuerit à fortuna tandem rejectus. Sic, ut Italia ceu sine vita jacens expectet, quis sit futurus qui sua vulnera sanet, atque Lombardiæ direptionibus & incendijs, nec non Regni Neapolitani Etruriæque expilationibus & tributis, finem imponat, easque plagas curet quæ jam ex longo tempore in fistulosum morbum abierunt. Iamque illam Deum precantem cernimus, ut alleget, qui à præsenti Barbarorum immanitate & insolentia se redimat. Perspicitur etiam, quam pronam, quamque paratam se præbeat, ut ad aliquod vexillum convolet, modo sit qui illud proferat. Nec hoc quidem tempore quempiam videt, de quo plus possit sperare, quam illustrem tuam Mediceorum familiam: quæ sua virtute, & fortuna ita evecta est, (favente Deo & Ecclesia, cujus ipsa nunc Principatum tenet) ut possit præbere caput illius redemtionis. Idque illi non admodum arduum esse poterit, si ob oculos eorum, de quibus supra mentio facta est, res gestas, & vitæ rationem expositam habebit. Et licet homines illi rari fuerint & admirabiles, homines tamen & ipsi fuerunt, atque minor se illis obtulit occasio atque hæc præsens est: quia illa quæ isti aggressi sunt, non multum justiora aut faciliora extiterunt, quam hæc sunt; nec Deus illis magis amicus fuit quam est vobis. Hic justitia summa

est:

est: quia id bellum est justum, quod est necessarium: & ea arma pietatem redolent, cum nulla alia in re, quam in illis spes omnis vertitur. Summa hæc rerum dispositio est, quæ quando maxima cernitur, nulla difficultas, quæ magna esse possit, superesse videtur; modo instituta & legum formam ab ijs ducat esse petendam, quos, tanquam finem ad quem collimet, propositos habet. Ad hæc multa extra ordinem sine exemplo hic adsunt, Dei ductu singulariter proposita. Mare apertum est: nubes viæ ducem se præstitit: petra aquam effudit: manna cœlitus pluit: omnia postremo ad amplitudinem familiæ tuæ convolant. Quod est reliquum suarum est partium. Nec enim omnia sibi agenda sumit Deus, ne nobis nostrum eripiatur liberum arbitrium nec ea pars gloriæ quæ nobis obvenit.

Non est quare quis admiratione ducatur, quod Italorum, quos supra recensuimus, nemo potuerit efficere, id quod effectum iri nunc Illustris tua familia facit sperare: tametsi in tot Italiæ conversionibus & varijs belli administrationibus militaris ejus virtus extincta esse videatur. Quandoquidem id ideo factum est, quod bellica prisca instituta & ordines non fuerint commoda; nec quisquam hactenus prodierit, qui sciret nova invenire. Nihil est, quod tantum nominis recens emergenti homini conciliet, quantum novarum legum constitutio & bellicarum rerum nova inventio. Hæc sane probe firmata, & præstantiam quandam præ se ferentia, augustum quem & suspiciendum reddunt. In Italia autem nulla deest materia, quo minus quælibet forma introduci possit. Hic plurima in membris virtus; modo in ijs, qui capita sunt, non deesset. Singularia certamina, & qui armis fiunt singulares congressus, tanquam in speculo contemplari nos

faciunt, quantum Itali cæteris omnibus præstent viribus, corporis agilitate, & animi præstantia. Sed tamen cum in aciem prodeundum est, nusquam apparent. Id autem quicquid est totum ex capitum imbecillitate oritur. Qui enim rerum periti sunt, nemo est qui parere velit, quia ipsi multum sese sapere arbitrantur; nec hactenus extitit, qui & virtute & fortuna eo magnitudinis & authoritatis processerit, ut reliqui omnes vellent ipsi loco cedere. Hinc fit, ut tanto temporis spatio, in tot bellis per hos viginti annos elapsos gestis, nunquam non exercitus, si quando totus ex Italica gente fuit conflatus, turpe sui documentum dederit. Hoc sane testatur primo Tarius flumen, deinde Alexandria, Capua, Genua, Vaila, Bononia, & Mestris.

Si itaque sedet animo Illustri tuæ familiæ, ut eos viros virtute præstantes sequi velit, qui suas provincias liberarunt: omnium primum illud ducat necessarium, tanquam omnium rerum gerendarum fundamentum, domesticam ac propriam militiam esse comparandam: quia magis fidi, magis certi, magis idonei, milites haberi nequeunt. Et licet singuli boni sint, in unum tamen coeuntes meliores fient; cum proprium Principem sibi imperare, seque honorare & conservare viderint. Necessum vero est in tantum sibi talia arma parare, ut virtute Italica possit se defendere contra exteros. Et quamvis Helvetiorum & Hispanorum pedestres copiæ terrori esse videantur, nihilo secius nec ipsæ in omnibus respondent. Ob id medium si quis constitueret militiæ ordinem, posset non modo illis obsistere, verum & superandas illas sperare: quia equitum impetum Hispani sustinere non possunt, Helverij vero timent peditum copias, quando æque ac ipsi

pervi-

pervicaces in certamine isto sibi obsistũt. Qua ex re perspectum est, & usu jam constat, Hispanos Gallicum equitatum sustinere non posse, Helvetios autem ab Hispanorum pedestri exercitu fuisse fusos. Et licet hujus postremi non ita integrum exemplum experientia constet, specimen tamen in prælio Ravennate perspicuum factum est; cum ab Hispanorum & Germanorum (qui & ipsi eundem quem Helvetij in acie ordinem tenent) pedestri exercitu concursum est. Vbi Hispanorum copiæ, tum corporis agilitate expeditiores, tum clypeis protecti in aciem irruperant; sic, ut subeuntes conferti agminis prælongas hastas, tuti eos ferirent, sine ullo quod afferre possent Germani remedio: ut nisi equitum turmæ in eos impressionem fecissent, ad unum omnes ferro absumpsissent. Nova igitur institui posset militæ ratio, postquam utraque ratio ostendit quid uni & alteri pedestri militiæ desit. Quæ nova militandi ratio equitatum sustineat, & peditatum non reformidet. Id autem non armorum genere, sed ordinum fiet commutatione. Et hæc sunt, quæ si recenter ordinata fuerint, novo Principi cum existimationem tum amplitudinem concilient.

Propterea non debet hæc occasio è manibus effluere; ut tandem aliquando Italia suum contempletur redemptorem. Facile sane oratione assequi nequeo, quo amore, qua fidei constantia, qua animi pietate, qua lacrymarum vi excipiendus ab ijs provincijs esset, quæ tantam exterorum illuviem tamdiu sustinuerunt. Quæ portæ illi clauderentur? Qui populi parere recusarent? Quæ invidia sese opponeret? Quis ex Italica gente obsequium illi detrectaret? Non est, cui hic fœtidus barbarorum domi-

natus

natus nauseam non faciat. Aggrediatur Illustris tua familia nobile hoc opus, eo animo, eaque spe, qua omnes res justæ suscipi solent. Vt sub ejus insignibus hæc patria nobilitetur; & ejus auspicijs Petrarchæ dictum vere contingat:

Virtus in furorem
Arma capiet, nec longum erit belli certamen.
Nam antiqua virtus
In Italicis cordibus nondum est extincta.

FINIS.

VITA

VITA
CASTRVCCII CA-STRACANI
Lucensis

Descripta à NICOLAO MACHIAVELLO
ad summos amicos suos
ZANOBIVM BVONDELMONTIVM
ET
LVDOVICVM ALEMANNVM.

CASTRUCCII CASTRACANI LUCENSIS VITA A NICOLAO MACHIAVELLO DESCRIPTA,

Ad Zanobium Buondelmontium ET Ludovicum Alamannum.



On præter rationem mirum videri possit, Zanobi atque Ludovice carissime, si quis rem considerare velit; omnes eos, vel saltem maximam eorũ partẽm, qui in hoc terrarum orbe præstantissimas res aggressi sunt, atq; inter cæteros sui ævi heroas excelluerunt, aut obscuro atque abjecto loco editos & prognatos, aut alioquin præter omnem modum à Fortuna, in ipsa origine, agitatos fuisse. Siquidem omnes aut expositiťij, aut patribus adeò abjectis orti fuere, ut eorum ipsos puderet; ideoque vel Iove, vel alio aliquo Deo satos sese esse, hominibus persuasum cuperent. Eorum verò catalogum recensere, postquam omnibus permulti eorum innotuerint, fortassis legenti fastidium parturire queat, eoque ut rem superfluam hoc loco intermittendam duco. Arbitror quidem hoc ideo sic evenire, quod Fortuna universo orbi testatum velit, abs se, non à prudentia proficisci, si quos communem hominum sortem anteire videmus: eamque ob eam rem vires suas eo potissimum in loco exercere atque ob oculos ponere, ubi omnium judicio

prudentiæ partes nullæ sint, sed ab ipsa omne pendere manifesto deprehendatur.

Ergo Castruccius quoque Castracanus Lucensis in eorum numerum censeri debet: qui quidem pro seculi sui urbisque in qua natus fuit, ratione egit res perquam maximas, neque origine felice notaque magis ac cæteri, usus est, sicuti ex vita ipsius copiosius patebit. Atque eam quidem ideo literarum monumentis recondendam, adque posteros transmittendam censui, quod in ea permulta sese exhibeant, quæ tam insignis virtutis, quam fortunæ ratione, aliquando exemplo esse queant. Vobis verò potissimum eam offerendam duxi, quod eorum, quibus res præclare virtuteque administratæ curæ atque oblectamento sunt, reliquos longo post vós intervallo relinqui, hactenus cognovisse mihi licuerit.

Vt ergo ad rem veniam. Constat Castracanos apud Lucenses inter nobiles ejus urbis familias recenseri, licet ea (pro omnium rerum in hoc orbe serie) hoc ævo esse desierit. Ex hac familia olim originem duxit Antonius quidam, qui cælibi vitæ generi deditus, inter Canonicos ad S. Michaelem apud Lucenses scriptus, atque honoris gratia Dominus Antonius appellatus fuit. Huic præter sororem unicam nihil familiæ erat; quæ Buonaccursio Centimanio matrimonio conjuncta, ab ejus obitu ad fratrem sese receperat, animumque ab omnibus deinceps nuptijs alienum induerat.

Colebat Antonius post ædes suas vineam, in quam, utpote alijs hortis circumseptam, multis ex locis aditus patebat. Accidit autm forte, dum quodam mane Dianora (hoc enim nomen viduæ erat) in ipsa aurora animi gratia eo exspatiaretur, utque (ut fœminis mos est) herbas condimentis suis

suis conquireret, ut sibi vite quadam inter pampinos nescio quid strepere, atque eo oculis conversis vagitum audire sibi videretur. Cum ergo eo versus pedes conferret, remque exploratam cuperet, ecce infantulum pampinis involutum: qui blandulo vultu brachiolisque tanquam opem ejus implorare videbatur. Qua quidem re Dianora non minus misericordia mota quam stupefacta, inde sublatum ad ædes fratris detulit, eumque ablutum, fascijsque exceptum, fratri ex æde sacra reverso obtulit. Atque is quidem casu percepto, infantuloque oculis perlustrato, non minore admiratione atque misericordia sese rapi sensit, adeò, ut re cum sorore aliquandiu deliberata; tandem de eo suscipiendo, postquam utraque prole destituerentur, facile convenirent. Ergo conducta nutrice, tanta cura atque amore porrò eum habere cœperunt, ut à paterna benevolentia parum abesse viderentur. Cujus quidem rei causa, ad sacrum fontem eum patris Castruccij nomine insigniri voluere.

Adolevit unà cum Castruccio ea gratia, isque omni in re ingenio atque prudentia pollere animadvertebatur. Vtpote qui pro ætate omnia facile addisceret, ad quæ ab Antonio vocaretur. Cui quidem animus erat, in eum tam Canonicatum, quam alia sua beneficia, quæ vocant, ab obitu conferre, eamque ob rem, quæ eò ducebant, eum addiscere volebat. Verum animum à vita sacerdotali omnino alienum se tractare, haud difficulter animadvertere ipsi licuit.

Castruccius siquidem vix annum ætatis XIV attigerat, cum imperio Antonij atque Dianoræ sese paulatim subducere, proculque valere cum metu pariter libris sacris jussis, ad arma tractanda animum applicare, neque jam aliud quam idipsum agere, aut cum sodalibus suis currere salta-

re luctari vel aliud tale conari. Quibus in rebus omnibus tam animo quam corpore præstare, atque reliquos longo intervallo post se relinquere videbatur. Quod si vero aliquando ad studia sese recipere libebat, nullis alijs libris delectari animadvertebatur, quam qui arma virosque canerent, atque horum res gestas illustrarent. Quod quidem Antonium maximopere sollicitum mæstumque habebat.

Erat id temporis inter nobiles Lucenses Franciscus Guinigius, qui virtute gratia atque opibus omnes suæ ætatis cives facile anteibat, porro militiæ deditus multis jam annis sub Viscontijs Mediolanensibus meruerat, Ghibellinorumque partes complexus, facile omnium eorum, qui ea studia apud Lucenses sequebantur, dux caputque habebatur. Atque hic quidem eo tempore aliquandiu Lucæ moratus, indies sub ædes illius Reipublicæ primi, quem Potestatem vulgo vocant, cum reliquis civibus conveniebat. Quo in loco, quod ædes illæ aream ad S. Michaelem, quæ omnium ejus urbis potissima est, contingerent, non raro Castruccium, ijs quæ supra attigimus exercitijs insudantem videre ipsi obtigit. Quibus non modo sodales omnes excellere, sed etiam authoritate quadam, tanquam regia, inter omnes eminere, atque ab ijs tam amari quam certo quodam modo coli videbatur.

Quod quidem maximum ejus cognoscendi desiderium penes ipsum excitavit: adeo ut percunctando ejus fortunam doctus, majore ejus obtinendi cupiditate accenderetur. Tandemque quodam mane eo vocato, ex ipso sciscitaretur: an in ædibus nobilis, ubi arma tractare atque equum regere disceret, an apud presbyterum ubi nil præter missas audiret, esse mallet. Atque deprehendere quidem Francisco licuit, quantum ad nomen equorum armorumque auditum, Ca-

struc-

struccius apud se gauderet, tacenti tamen ex verecundia, ut responderet animus ipsi addendus fuit. Dixit ergo, si id hero suo benevolo fieri posset, malle se longè militiam quam sacerdotis studia sequi. Satisfactum Francisco responsione ista: egitque ille cum Antonio adeo solicite ut tandem juvene potiretur. Quem quidem eo facilius obtinuit, quod Antonio ingenium juvenis suis cum studijs minus convenire videretur.

Ergo Castruccius ex ædibus Antonij Castracani sacerdotis, in ædes Francisci Guinigij turmarum ducis transscriptus, dici credive vix queat, quam exiguo temporis intervallo, omnes tam mores quam virtutes nobile adolescente dignas imbiberet. Imprimis verò in equorum agitatorem excellentissimum abijt: adeo ut equum, quantumvis ferocissimum atque contumacem, summa dexteritate coerceret, inque hastiludijs, licet adhuc puer, omnium oculos in se converteret. Adeo ut in nullo exercitiorum genere, sive robur sive dexteritatem spectes, æqualem haberet.

Quibus præterea mores accessere, in quibus modestia inæstimabilis elucebat. Siquidem nihil quod displiceret seu dicere seu agere solebat; sed superiores observare, æquales modeste habere, apud inferiores denique festivus esse, consueverat. Quas quidem ob res non modo Guinigiorum omnium, verum adeo universæ urbis amorem provocavit.

Accidit ergo postquam Castruccius duo devigesimum jam annum attigisset, ut Ghibellini Ticino à Guelfis pellerentur: in quorum subsidium à Viscontijs Mediolanensibus Franciscus Guinigius missus, Castruccium comitem habuerat, utpote apud quem cura totius turmæ remaneret. Qua in expeditione Castruccius tam prudentiæ quam animi tot experimenta de se exhibuit, ut nemo parem laudem atque bene-

benevolentiam, quotquot expeditioni isti intersuerant, inde referret. Adeo, ut non modo apud Ticinenses, verum in universa Longobardia, nomen ipsius in honore atque existimatione esse inciperet. Lucas ergo longe honoratior quam inde discessisset reversus, porro omni diligentia, artibusque illis quibus homines devinciri consueverunt, amicos sibi comparare quamplurimos studuit.

Iamque Franciscus Guinigius vitam cum morte commutaverat, atque decedens unico suo filio Paulo Castruccium tutorem atque rectorem reliquerat, ipsum ante obitum sedulo hortatus, ut pari qua erga ipsum usus fuisset fide, etiam ipse filium suum habere, eamque gratitudinem quam patri præstare minus posset, filio exhibere niteretur. Ergo cum ab obitu Guinigij, Castruccius omnem ejus fortunam administraret, tanta porro authoritate atque potentia inde augeri cæpit, ut ea, qua apud Lucenses pollebat gratia, sensim in invidiam degeneraret. Adeo ut non pauci ipsum, quasi ejus animus tyrannidem redoleret, calumniarentur. Inter quos Georgius Opizius Guelfarum partium dux facile primas tenebat.

Atque is quidem ab obitu Francisci Guinigij Principatum urbis sibi ipsi pollicitus, ferre non poterat, ut à Castruccio, ea authoritate atque gratia munito, occasiones rei gerendæ sibi præpedirentur. Quam ob rem ea in vulgus disseminabat, quæ Castruccio obfutura arbitraretur. Tulit id ab initio Castruccius satis indigno animo. Cui paulo post suscipio accessit, ne forte Georgius apud Proregem Neapolitanum suum exitium quæreret, atque de eo urbe pellendo consilia iniret.

Imperabat id temporis Pisanis Huguccio de Faggiola Aretinus; qui à Pisanis præfectus copijs, postea omni imperio

rio eorum potitus fuerat, penes quem exulum aliqui Lucensium, qui partium Ghibellinarum erant, morabantur. Ergo cum his Castruccius clam consilia iniit, quo pacto Huguccionis subsidio ipsis patria recuperaretur, eamque mentem amicis suis in urbe, quibus Opizij potentia suspecta erat, aperuit. Cum his igitur negotio constituto, Castruccius caute admodum turrim, cui Honestorum nomen, munire, eamq; commeatu referre cœpit, quo necessitate urgente, aliquot dierum spatio in ea tutus subsistere posset.

Ergo omnibus rite exploratis, Huguccionem, qui vocatus cum exercitu planiciem illam, quæ montes urbemque interjacet, insederat, signo ad id præstituto ut maturaret monuit: qui eo animadverso, mox ad portam S. Petri successit; eamque igne injecto subruere cœpit. Castruccius altera ex parte tumultu concitato, plebeque convocata, eandem portam occupavit atque tandem effregit, adeo ut Huguccioni aditus in urbem pateret. Qui una cum copijs irrumpens, Georgium Opizium, omnemque ipsius familiam, multos præterea qui ejus amicitiam partesque sequebantur, interfecit, Rectorem urbe exegit, atque Rempublicam Lucensem ad suum arbitrium, maxima cum urbis clade, composuit. Siquidem constat, eo tempore, plusquam centum familias in exilium actas fuisse. Pulsorum alij Florentiam, Pistoriam alij sese recepere: quæ tum urbes à Guelfis stabant, eamque ob rem Huguccionem atque Lucenses pro hostibus habebant.

Postquam ergo Florentinis, alijsque Guelforum studiosis videretur, Ghibellinas partes nimium in Tuscia incrementum adquisivisse, eam ob rem de patria Lucensibus restituenda inter se convenere: coactoque valido exercitu, mox vallem, quæ à nivibus nuncupatur, invasere, expugnatoque

toque Monte Catinio, inde Montem Carlum obsidione cinxere: ut nimirum eo occupato, aperta porro ad Lucenses via esset. Eam ob rem Huguccio multis Pisanorum atque Lucensium sub signa scriptis, petitoque ex Longobardia copioso Germano equite, in hostes movere cœpit. Qui ejus adventu intellecto Montem Carlum reliquerant, seque inter Montem Catinum atque Pesciam receperant. Adeo ut Huguccio castra infra Montem Carlum, altero à Florentinorum copiis miliari, locaret, resque inde aliquot dies leviusculis velitationibus ageretur. Siquidem Huguccione morbo correpto Pisani atq; Lucenses justa acie decernere metuebant. Verum cum morbus sensim ingravesceret, ipsi tandem ad Montem Carlum (valetudinis recuperandæ gratia) concedendum fuit: cura exercitus Castruccio demandata. Quæ res Guelfis exitio fuit, utpote quibus animi, quod exercitum hostilem duce destitutum arbitrarentur, non mediocriter excrevissent. Atque id à Castruccio optimè animadversum: porro eam opinionem apud ipsos confirmare sedulo ille perrexit, metumque simulans, nemini è munitionibus egredi copiam esse voluit. Adeo ut Guelfi indies insolentiores, ad castra ipsa Castruccij aciem suam sæpius explicarent: ipsique ea ratione opportunitatem præberent, ut & animos & ordines ipsorum explorare quam optime posset. Ergo confirmatis oratione militum animis, certam ipsis victoriam modo ipsius institutum sequi vellent polliceri cœpit.

Animadverterat nimirum Castruccius, Guelfos omne suum robur in media acie collocasse, militem vero minus strenuum ad utraque cornua recepisse. Contraria igitur ipse ratione in cornua validissimum quemque militum suorum constituit, in media vero acie minus strenuos collocavit, atque

que hoc ordine è castris profectus quamprimum hostem in conspectu haberet, (is vero pro more insolenter obviam proficiscebatur) mediam aciem gradum moderari, cornua vero citatius ferri voluit. Qua ratione factum est, ut tantum cornua ex utraque parte dimicarent, mediæ vero acies nihil agerent. Siquidem Castruccij acies tam procul adhuc aberat ut eam hostis adoriri non posset; eoque robur omne exercitus Castruccij manus conserebat, minusque strenua pars stabat: cum contra in exercitu hostium potior pars nihil ageret, sed inferiori solummodo pugnandum esset. Adeo ut non magno labore utrumque Florentinorum cornu in fugam ageretur; atque porro media acies, postquam latera jam nudata haberet, nihil pugnando, etiam ipsa in fugam sese conijceret.

Fuit sane ea clades insignis atque memoranda. Siquidem ea, præter decem hominum millia, multi duces atque strenui milites omnes Guelfarum partium, interque eos Principes non pauci desiderati fuere. Quibus accensentur, Petrus Regis Ruperti Neapolitani filius, Carolus ipsius nepos, Philippusque Tarentinorum Princeps. Ex parte vero Castruccij circiter trecenti, interque hos Franciscus Huguccionis filius occubuere: qui juvenis atque fervidus inter primos ceciderat. Ergo ea victoria Castruccio quidem immortale nomen peperit, verum Huguccioni tantæ suspicioni fuit, ut de imperio suo sibi metuendum arbitratus, qua ratione eum è medio tolleret, secum sollicite agitaret: eam nimirum victoriam imperium non modo suum non stabilivisse, sed potius undique labefactasse. Ergo occasionem tantum operiebatur, ut honesta aliqua ratione à viro isto liberaretur.

Accidit porro ut Petrus Agnolus Michelius, vir apud

Lucenses magnæ existimationis, interficeretur, atque is qui homicidium perpetrarat, ad ædes Castruccij sese fuga reciperet, indeque Capitaneus una cum lictoribus, qui eum repetitum Castruccium accesserant, ab eo turbarentur atque excluderentur, eaque ratione homicidæ occasio suppeditaretur, ut suæ saluti fuga prospiceret. Iam igitur Huguccio, qui id temporis Pisis erat, commodam ejus opprimendi occasionem se adeptum ratus, vocato ad se Nerio filio, in quem Lucensium imperium contulerat, ipsi injunxit, ut ad convivium invitatum Castruccium comprehenderet atque necaret. Castruccius ergo familiariter dominum conveniens, nihilque omnino sinistri suspicatus, primo quidem ad mensam exceptus, cœna vero peracta in vincula conjectus fuit. Cum autem Nerius metueret, ne forte populus turbaret, si Castruccius nullo servato juris ordine necaretur, maluit negotium differre, quo patris voluntatem manifestius exploraret. At is in tarditatem animique consternationem filij magno stomacho invectus, quo rem citra periculum perficeret, assumptis quadringentis cataphractis Lucas versus movere cæpit. Verum vix ad Balnea progressus fuerat, cum nuncio edoceretur Pisanos defecisse, omnemque ipsius familiam una cum vicario suo interfecisse, Gaddonemque Gherardesciæ Comitem sibi præfecisse.

Non erat Huguccioni integrum Pisas regredi, ne forte Lucenses Pisanorum exemplo eruditi, eum urbe intercluderent. At Lucenses defectionis Pisanæ jam conscij, licet Huguccio jam in urbem penetrasset, nihilominus ex Castruccij vinculis occasione arrepta, primum per vicos atque circulos contumacius sermones serere, tandem Castruccium tam obstinate repetere cœperunt, ut Huguccio, majoris discriminis evitandi gratia, eum libertati restitueret. At

Ca-

Castruccius conglobato amicorum agmine, populi porro subsidio fretus, tanta virtute Huguccionem adortus est, ut ipsi cum suis una in fuga salus reponenda atque Longobardia petenda fuerit: ubi apud Scaligeros misere tandem vitam deposuit.

Castruccius vero ex captivo vix jam non Lucensium Princeps, opera amicorum, atque recenti ob eam victoriam benevolentia, facile obtinuit, ut Lucenses eum copijs suis in annum præficerent. Vt ergo bello aliquo gloriam sibi pararet, constituit ea quæ post Huguccionem profligatum à Lucensibus defecerant municipia, sibi recuperanda esse, eamque ob rem, postquam cum Pisanis transegisset, Serezanam obsidione cinxit, atque editiore in loco propugnaculum, (quod postmodum à Florentinis muro cinctum, hodie Serezanella nuncupatur) ad eam commodius subjugandam, construxit: adeo ut intra secundum ab obsidione mensem Serezana potiretur. Eodem impetu postea Massam, Carraram, & Faventiam capit: atque brevissimo temporis intervallo omnem Lucensem agrum occupavit: Appuam præterea, quo aditum in Lunensem agrum ex Longobardia intercluderet, expugnavit: Anastasiumque Palavicinum, ejus loci regulum, in potestatem redegit.

Inde tot victorijs clarus Lucas reversus, universum populum sibi obvium habuit. Qua animi propensione commodum utendum ratus, Pazzinij Poggij, Puccinelli de Portico, Francisci Boccansachij, atque Ceccij Guinigij potissimum favore, utpote qui Lucensium facile primi id temporis ab eoque corrupti erant, imperium urbis in se transtulit, atque plebiscitò Princeps salutatus fuit.

Trajecerat id temporis in Italiam Ludovicus Bavarus Romanorum Imperator ut regno eo inauguraretur. Hunc

sibi Castruccius conciliandum ratus, relicto ad urbem Paulo Guinigio, quem ob beneficia paterna filij loco habebat, quingentis cum cataphractis ipsi obviam proficisci voluit. Habitus fuit in honore à Ludovico Castruccius, multisque privilegijs auctus: insuper Vicarius Imperij per omnem Tusciam constitutus. Præterea Pisanorum imperium, qui pulso Gaddone ad Ludovicum de auxilijs confugerant, in ipsum translatum: ipseque à Pisanis, metu Guelforum præcipuè vero Florentinorum receptus fuit.

Imperatore postmodum in Germaniam regresso, atque Vicario ad res Italiæ administrandas Romæ post se relicto, omnes Ghibellinarum partium, tam ex Longobardia quam Tuscia, ad Castruccium confluere, atque quilibet ipsi imperium patriæ suæ, si in ipsum ejus opera restituerentur, polliceri cæpere. Inter quos fuere Matthæus Guidius, Nardus Scolarius, Lapus Vbertus, Georzzius Nardius, Petrusque Buonaccorsius; Ghibellini & Florentini omnes.

Ergo Castruccius, qui horum opera suisque viribus, universæ Tusciæ imperium in se transferri posse arbitraretur, amicitia cum Matthæo Viscontio Mediolanensium Principe contracta, omnem eam urbem universamque provinciam arma tractare docuit. Inde ad Lucenses conversus, quod urbi quinque portæ essent, pari ratione omnem ipsorum regionem in quinque classes distinxit, & quamque partem duci signoque peculiari parere voluit. Eaque ratione effecit ut viginti hominum millia, cum opus foret, præter quos ex agro Pisano cogere posset, ipsi momentò præsto essent.

Accidit postmodum, ut Matthæus Viscontius à Guelfis Placentinis, qui Ghibellinos auxilio Florentinorum Regisque Ruperti exturbaverant, invaderetur: eamque ob rem ad Castruccium, tot amicis copijsque stipatum, confugeret:

ut

ut impressione in Florentinum agrum ab eo facta, illi ad sua defendenda, resque Longobardiæ destituendas, revocarentur. Castruccius ergo per vallem Arni in Florentinos irrumpens, primo Fucechium, inde S. Miniatum, adeo ingenti præterea agris illata clade, occupavit, ut Viscontij voto, Florentini exercitum revocare necesse habuerint. Qui vix Tusciam attigerat, cum Castruccio ad Lucenses, alia necessitate urgente, repedandum esset.

Erat apud Lucenses familia Poggia potentissima, Castruccioque ad occupandum imperium maximo momento fuerat. Verum quod minus ex officij magnitudine sese exceptos arbitrarentur, eam ob rem clam consilijs habitis, advocatisque in societatem permultis familijs alijs, à Castruccio deficere eumque urbe pellere decreverunt. Occasionem ergo ob Castruccium bello implicatum sese nactos rati, quodam mane in præfectum iustitiæ, qui Castruccii nomine urbem administrabat, impetu facto, eum interemerunt. Postmodum ad plebem concitandam conversi, Stephanum Poggium, virum senem pacisque studiosum atque conjurationis nescium, obvium habuerunt. Qui sua authoritate obtinuit, ut arma conjurati deponerent, inque ipsius fidem, utpote qui sese interventurum apud Castruccium quo votis potirentur stipulabatur, recumberent.

Castruccius ergo defectionis istius edoctus, nulla interposita mora cum parte copiarum, reliqua Pauli Guinigij imperio commissa, Lucas versus properavit: motuque licet composito, omnes aditus urbis opportuniores mox armato milite occupavit. Eam ob rem Stephanus Poggius, utpote qui Castruccium sibi obstrictum arbitraretur, pro suis intercessurus (sibi etenim ejus nihil opus esse putabat) ipsi sese obvium exhibuit: multisque rogare cœpit, ut alia juvenili fervori,

vori, alia veteri amicitiæ, atque officijs à familia Poggiorum in ipsum profectis, condonaret. Atque Castruccius quidem, eum benigne exceptum, bono animo esse jussit: motus nimirum sedatos longe majore gaudio sibi esse, quam commotus fuerit ob eos concitatos, Deoque se gratias habere, qui occasionem testandæ clementiæ atque liberalitatis sibi exhibuerit. Venirent modo omnes, ipsiusque animum experirentur. Fide ergo tam Castruccij quam Stephani interposita decepti, cum sese præsentes Castruccio exhibuissent, una cum Stephano capti necatique fuere.

Inter hæc gesta Florentini S. Miniatum recuperaverant. Visum eam ob rem Castruccio potius id bellum componere: quod Lucenses omittere, priusquam eorũ animos sibi firmasset, minus integrum arbitraretur. Tentatis ergo Florentinorum animis, eos jam belli atque sumptuum pertæsos non difficiles habuit. Induciæ ergo in biennium pactæ, præterea actum, ut quisque ijs, in quæ potestate tum haberet, potiretur.

Bello isto composito, Castruccius alijs alijsque sub causis, ut istiusmodi periculum deinceps præcaveret, omnes eos, quos ad imperium urbis adspirare posse arbitraretur, è medio sustulit: nullaque cujusquam habita ratione, alios fortunis, alios verò, quos habere poterat, omnes vita spoliavit. Quod nimirum affirmaret, experientia se edoctum, istorum neminem sibi fidum ulla ratione esse posse. Castrum præterea in ipsa urbe exstruxit: materiamque ex turribus, eorum quos urbe ejecerat, demolitis, eam ad structuram petijt.

Neque tamen ob pacem cum Florentinis firmatam, dum Lucensibus cohercendis incumberet, à belli curis vacabat: verum omni studio augendæ potentiæ suæ intentus, quic-

quicquid citra apertum Martem ad eam conferre poterat, sedulo aucupabatur. Inprimis vero occupandorum Pistoriensium incredibili desiderio tenebatur: quod nimirum arbitraretur, ea urbe in potestatem redacta, maximo id sibi momento ad Florentinos subjugandos fore. Eo igitur animo omnem istum tractum varijs rationibus in amicitiam suam pertraxit: inque ipsa adeo urbe tam dextre partium sese studijs accommodavit, ut utraque pars in ipsum recumberet.

Erant siquidem id temporis Pistorienses (sicuti etiam hactenus semper) in Albos Nigrosque divisi. Albi Sebastianum Possentium, Nigri Iacobum Giam ducem habebant. Atq; hi ambo cum Castruccio consilia sua occultissime communicabant: quod nimirum uterque speraret, ejus sese auxilio adversarium urbe eijcere posse. Cum ergo inter eas animi suspensiones tandem ad arma inter partes deventum esset, & Iacobus quidem portam Florentinam, Sebastianus vero Lucensem occupasset; atque utrisque minus spei in Florentinis, quam in Castruccio, utpote magis prompto bellique cupido, repositum esset: igitur ambo occultis internuncijs ejus auxilia accersivere. Eorumque obtinendorum promissis onerati fuere: Iacobo quidem seipsum ad futurum, Sebastiano vero Paulum Guinigium missurum pollicitus. Hora ergo ad id præstituta, Paulus quidem Pesciana, Castruccius vero recta via Pistorium profecti, sub mediam noctem ambo à partibus, ejus consilij ignaris, in urbem recepti fuere.

Igitur Castruccius tempus adesse ratus, quo desiderio suo potiretur, signo constituto ipse in Iacobum, Paulus verò in Sebastianum impetu facto, utrumque facile oppressere: omnesque partibus utrisque deditos partim interfecere, partim cepere: urbisque aditu insesso, protractoque ex palatio

magistratu, populum fide Castruccio obstrinxere. Atque is quidem immunitate debitorum ipsis concessa, multis pollicitationibus præterea tam ipsos quam omnes eorum montium incolas, qui ad conspiciendum novum Principem eo confluxerant, adgressus, facile eorum animos ingenti spe oneratos pacavit.

Laborabatur inter hæc gesta Romæ annonæ penuria, ob Pontificis nimirum, qui Avenioni sedem fixerat, absentiam: ejusque rei culpa in Germanorum administrationem conferebatur. Adeo ut ad defectionem res speraret, multæque cædes in dies perpetrarentur: neque in Henrici, qui Imperatoris ibi vices agebat, potestate jam esset motum illum cohercere. Ergo hic animi anxius, ne forte Romani vocato Rege Neapolitanorum Ruperto, sese Roma exturbarent, Romamque Pontifici restituerent; cumque porro auxilia opportuna fidaque magis in propinquo non essent; ad Castruccium conversus, eum non modo auxilia sed etiam præsentiam ipsius rogare cœpit.

Et Castruccius quidem, tam quo sese Imperatori gratum testaretur, quam quod facile animadverteret, Imperatore Roma excluso, nullam sibi salutem superesse: nihil cunctatus, relicto ad urbem tuendam Paulo Guinigio, ducentis cataphractis stipatus Romam perrexit: atque ab Henrico summo honore habitus, exigui temporis intervallo authoritate sua tantum Cæsaris partibus momentū contulit, ut citra cædes aut vim omnia componerentur. Siquidē annona navibus circum Pisanos imposita, occasionem turbandi Romanis ademit. Inde præcipuos Romanorum adgressus, partim monendo, partim castigando effecit, ut non inviti sub imperium Henrici reverterentur. At cujus rei beneficium, in Senatorum numerum, multis præterea honoribus à Romano

Rom-

Pontifice cumulatus) cooptatus fuit. Quam quidem dignitatem splendissimo apparatu solennitate publica lætus excepit, ipse veste Attalica indutus, cui à fronte inscriptum erat, Est quod Deus vult: à tergo vero, Erit quod Deus volet.

Interea Florentinos non mediocriter urebat, Castruccium induciarum tempore Pistoriensium imperio auctum fuisse. Consiliaque eam ob rem agitabant, si forte illi, ob ejus absentiam, ad defectionem sollicitari possent.

Agebant id temporis apud Florentinos, Baleus Cecchius, & Iacobus Baldinius exulum Pistoriensium præcipui, tamque authoritate quam animo ingenti præditi. Atque hi quidem occultis apud Pistorienses consilijs subsidijsque Florentinorum freti, nocte quadam furtim in urbem penetrarunt, pulsisque Castruccij præfectis, eorumque quibusdam interfectis, urbem pristinæ libertati restituerunt.

Atque ea quidem res Castruccium non mediocriter turbavit; adeo ut venia ab Henrico impetrata properato itinere Lucas contenderet. Florentini vero, quod eum vix quieturum arbitrarentur, antevertendum rati, primi cum copijs in Vallem Nivium penetrare decreverunt; quod nimirum sperarent, ea valle occupata, Castruccio viam ad Pistorienses interclusam fore. Coacto igitur valido undique à Guelfis exercitu, Pistoriensium agrum occuparunt. Castruccius vero cum copijs ad Montem Carium progressus, postquam Florentinorum mentem explorasset, non consultum arbitratus, eos in planicie vel prope Pisas vel ad Pesciam adoriri, in angustijs ad Saravallum ipsos operiundos censuit. Quem quidem in locum si eos pellicere obtingeret, certam de ipsis victoriam sibi pollicebatur. Quadraginta siquidem hominum millibus Florentinorum exercitum constare intellexerat, cum ipse ex suis duodecim tantum millia delegisset:

ac licet tam propria industria quam militum virtute niteretur, maluit tamen planiciem devitare, ne forte ab inimico agmine circumveniretur.

Est porro Saravallum castrum Pesciam inter atque Pistoriam, eo in colle qui Vallem Nivium claudit, non quidem juxta ipsum aditum sed paulo remotius situm: via vero quæ ex ea valle ducit non quidem ardua, sed qua prope castrum surgit adeo angusta est, præsertim in cacumine collis ubi rivus in duas secatur partes, ut ea à viginti hominibus, quorum sese latera contingant, quaqua versus occupari possit. Ergo has angustias Castruccius sibi opportunas ratus, eo loci hostem exspectare decreverat: tam quo sui milites situs ratione præstarent, quam ne hostibus ante pugnam sese conspiciendum exhiberet, eaque ratione milites sui, conspecto tanto agmine, forte trepidarent.

Tenebat eo tempore castrum istud Manfredus Vir Germanus. Qui quidem, antequam Castruccius Pistoria potiretur, tam Lucensibus quam Pistoriensibus pari amicitia jungebatur: neque etiam post occupatos Pistorienses ab ulla partium eum lædi contigerat, quod nimirum neutris sese addicturum pollicitus esset. Adeo ut tam eam ob rem, quam quod locum munitiorem habitaret, ab utrisque sustentatus eo usque fuerit. Verum post Pistoriensium defectionem Castruccius ad eam arcem occupandam animum applicare, porroque cum quodam castri ejus cive, cum quo arcta ipsi familiaritas intercesserat, agere cæpit, ut nocte ea, quæ pugnam præcedere debebat, quadringentos milites suos in castrum reciperet, atque dominum castri opprimeret.

Eum ergo ad modum Castruccius rebus constitutis, noluit exercitum à Monte Carolo movere: quo nimirum Florentinos ad transeundum audactius provocaret. Atque hi

qui-

quidem, quod bellum à Pistoriensibus in Vallem Nivium avocare cuperent, jam castra arcem infra Saravallum collocaverant, quo postridie nimirum angustias, quarum modo mentionem fecimus, superarent. Verum Castruccius, occupato ea nocte clam castro illo, sub mediam noctem à Monte Carlo movere cœpit, adeo ut ipso diluculo Saravallum pertingeret, atque tam ipsius quam Florentinorum copiæ, uno eodemque momento, licet via diversa, collem conscenderent.

Disposuerat Castruccius pedites suos viaregia, quadringentos verò equites ad lævam versus castrum in insidijs collocaverat. At Florentini quadringentos equites in frontem receperant, postque peditum aciem tandem cataphractos ultimum agmen claudere volebant; neque de Castruccio quidquam suspicabantur, utpote quem castrum occupasse penitus ignorarent. Præter omnem ergo exspectationem equites Florentinorum in peditem Castruccij impingentes, vix ipsis per tempus licuit galeas sibi aptare, adeo ut imparati à paratis inque ordinem dispositis excepti, vix ægre primum impetum sustinerent, indeque omnis exercitus Florentinorum maximopere turbaretur. Equites siquidem peditibus, pedites equitibus & impedimentis implicati, omnem ducibus imperandi facultatem ob loci angustiam præripiebant: neque rebus eum ad modum turbatis quisquam erat, qui in medium consulere posset. Equites nihilominus peditem Castruccij ut poterant sustinebant, non quidem virtute sua, sed quod ob loci angustiam sese recipere non possent, atque necessitate ipsa ad pugnandum adigerentur: siquidem latera montibus obsepta habebant, tergum amici claudebant, à fronte ab hoste jugulabantur. Nihilominus difficulter admodum Castruccij miles agmen istud penetrabat. Eam ob

rem quadringentos istos equites, quos prope castrum in insidijs collocatos supra diximus, unaque mille pedites, alia via deflectere, atque ex latere hostem petere voluit. Qua quidem ratione effecit, ut Florentini, injuria potissimum loci oppressi, impetum istum sustinere non possent, sed terga obverterent, fugamque illi primi capesserent, qui ultimum agmen versus Pistoriam claudebant, atque, qua quisque poterat via, saluti suæ consulerent.

Fuit sane ea clades Florentinis non minus cruenta, quam captorum numero insignis. Capti ducum permulti, inter quos Bandinus Rossius, Franciscus Brunelleschius, Ioannes Tosanus ex nobilitate Florentina: præterea ex Tuscia Regnoque Neapolitano non pauci, qui à Rege Ruperto Guelfis subsidio missi Florentinis militaverant.

Pistorienses percepta Florentinorum clade, nil quidquam morati, pulsis Guelfarum partium studiosis, in Castruccij potestatem rediere. Neque is hac victoria contentus, præterea omnes eas arces, quæ in planicie tam cis quam ultra Arnum sitæ sunt, in potestatem redegit, castraque alterum à Florentia lapidem in plano Peretolano meratus est: præclareq; multos dies non modo in dividenda præda, verũ etiam, quo Florentinis ægre faceret, cohonestandæ atque celebrandæ victoriæ gratia, in moneta cudenda, equorumque curriculo, cui tam viros quam meretrices insudare volebat, exegit. Quin etiam occultis cum quibusdam Florentinorum nobilibus consilijs egit, ut noctu in urbem reciperetur. Verum res detecta conjuratis exitio fuit: interque hos Thomas Lupaccius, & Lambertuccius Frescobaldus extremo capitis supplicio affecti fuere.

Ergo Florentini post cladem tot angustijs expositi, deque libertate deinceps tuenda ambigui, quo tandem aliqua rati-

ratione ex præsenti malo emergerent, oratoribus ad Regem Rupertum Neapolitanum ablegatis, universæ urbis imperium ipsi detulerunt.

Atque Rex quidem, non tam quo gratum tanto honori animum testaretur, quam quod non ignoraret, quantum securitati suæ conduceret Tusciam à Guelfis stare, eam conditionem, qua ducenta præterea Florentinorum millia Florentini ipsi pendere tenebantur, non invitus amplexus est, Carolumque filium cum IIII M. cataphractis Florentiam pergere voluit.

Quæ inter gesta Florentini vires quodammodo recolligere cœperant. Castruccio siquidem Pisas concedendum fuerat, quo conjurationi Benedicti Lanfranci, Pisanorum facile primi, mature obviam iret. Atque is quidem, quod animo ferre æquo non posset, patriam suam à Lucense subjugatam esse, contra ipsum clam machinari cæperat: quod castrum à se Pisanum occupari, præsidiarios inde profligari, atque Castruccio deditos opprimi posse speraret. Verum cum istiusmodi in negotijs exigua quidem vis ad occultandos conatus sufficiat, ad perficiendos vero eosdem satis esse nequeat, inde factum est, ut dum Lanfrancus plures sibi complices conquireret, in delatorem suum qui omnia ad Castruccium referret, incideret. Neque defuere qui ejus rei Bonifacium Cerchium Ioannemque Guidium, qui tum temporis Pisas relegati erant, non absque ignominia insimularent. Quidquid autem de delatore sit, Castruccius Lanfrancum comprehensum supplicio affecit, omnemque issam familiam in exilium egit: permultis præterea nobilioribus civium capite plexis, id potissimum egit, postquam Pisanis atque Pistoriensibus fluxa fides esset, ut tam vi quam arte eorum imperium sibi stabiliret.

His

His ergo dum occupationibus Castruccius destineretur, interim Florentinis resurgere, Carolique adventum operiri licuit. Quo tandem impetrato, hi nihil jam cunctandum rati, scripto undique (siquidem ex universa fere Italia Guelfos exciverant) exercitum XXX peditum, X vero equitum millium coegerunt. Inde quam in partem primum deflectendum esset, deliberato, Pisam oppugnandam esse constituere: tam quod eam facilius, ob conjurationem nuperam, conatibus cessuram, quam quod eam utilem quoque magis futuram arbitrarentur, utpote qua expugnata Pistorienses ultro ad deditionem descensuri essent.

Ergo instructis copijs mense Majo Anni 1328 progressi, facile Lastram, Signiam, Montem Lubum atque Empolium occupavere: inde ad S. Miniatum castra posuere. Castruccius altera ex parte, ob tam ingentes Florentinorum copias animo nihil consternatior, tempus jam adesse ratus, quo fortuna universæ Tusciæ imperium sibi exhiberet; quod nimirum hostes non magis prosperâ in Pisano, quam Seravallensi agro, forte pugnaturos, atque à secunda hac clade jam nullam ipsis spem superfuturam arbitraretur; etiam ipse militem suum legere, atque exercitum XX M peditum, equitum vero IV M cogere cœpit. Atque ipse quidem cum exercitu ad Fucechium consedit, Paulum vero Guinigium cum copijs V M ad Pisas pugnare jussit.

Situm est Fucechium in agro Pisano, loco omnium reliquorum munitissimo, quod tam Guscianam Arnumque fluvios ab utraque parte habeat, quam satis edito in colle constitutum sit. Quo quidem in loco Castruccius neque annona ab hoste, quæ vel Luca vel Pisis subveheretur, intercludi, nisi is exercitum dividere mallet; neque etiam commode vel oppugnari, vel etiam ab hoste Pisas deflecti, poterat.

Altero

Altero ſiquidem caſu à copijs Caſtruccij atque Guinigij medij intercipi: altero vero non niſi ſummo diſcrimine, ob hoſtem vicinum, Arnum traijcere poterant.

Atque Caſtruccius quidem, quo eos in hanc poſteriorem ſententiam inclinaret, conſulto Arni ripam occupare noluit, ſed exercitu juxta Fucechij muros diſpoſito, ſatis amplo ſpatio ab Arno ſeceſſerat.

Ergo Florentini, poſtquam S. Miniatum in poteſtatem redegiſſent iterum deliberare, an Piſæ obſidendæ, an potius Caſtruccius petendus eſſet: atque utroque accurate diſputato, tandem ad Caſtruccium invadendum inclinavere. Erat ſiquidem Arnus id temporis non adeo plenus quin vadari poſſet, licet pedites ad humeros, equites vero ad ephippia uſque mergendi eſſent.

Decima ergo Iunii die Florentini exercitu in aciem diſpoſito: primo equitum partem, agmenque x peditum M flumen traijcere voluere. Caſtruccius vero, qui animo omnes jam caſus exploraſſet, occaſionibus intentus, agmine v peditum, globoque equitum III M his obviam progreſſus; præterea mille peditibus, partim inferiore, partim ſuperiore ex ripæ parte collocatis, manus cum ipſis antequam ripam alteram conſcendiſſent conſerere cœpit. Florentinus ergo pedes tam armis onuſtus quam aquis madidus erat: neque omnibus porro vertices ſuperare licuerat; equitum vero primi protrito alveo inſequentibus aditum difficilem reliquerant; adeo ut equorum alij pavidi dominos erecti excuterent, alij ipſo cœno profundiore immoti hærerent. Ad eo ut exercitus duces ſuperiorem ripam, num forte ea alveo exceſſo præruptoque minus eſſet, tentandum imperarent. Verum etiam illi in peditem Caſtruccij per ripam diſpoſitum, atque leviter parmis jaculiſque armatum, impingentes,

crebris tam clamoribus quam jaculis excepti fuere. Ut porro etiam hac ex parte equi, qua vociferationibus, qua vulneribus perterriti, nulla concitatione moveri ultra possent.

Interea apud Castruccium strenue utrinque pugnabatur: multique tam hinc quam illinc cadebant, magnoque pariter animo utrique ad victoriam adspirabant. Castruccij quidem miles Florentinum in fluvium repellere; at ille Castruccium à ripa propellere, quo etiam reliquis traijciendi locus esset, nitebatur. Ducesque utrinque animum suis tam verbis quam opere addebant. Castruccius quidem suos monere, hunc eum ipsum hostem esse, quem nuper ad Saravallum tam feliciter profligassent: Florentini vero suis animi imbecillitatem, quod à paucis sese vinci paterentur, exprobrare.

Tandem Castruccius, postquam pugnam protrahi, suosque pariter ac hostes jam defatigatos animadverterat, recens agmen V M peditum vocare, eoque à tergo suorum qui pugnabant collocato, primis imperare cæpit, ut ordines aperirent, ac tanquam fugam moliturí ad dextram pariter atque sinistram deflecterent, eaque ratione Florentinis copiam progrediendi aliquam facerent. At illi jam defatigati, postquam in recentem istum militem offendissent, non magno molimine repressi inque flumen repulsi fuere.

Inter equites porro hactenus æquali Marte pugnatum fuerat. Castrucciano siquidem, utpote numero inferiori, injunctũ erat, ut impetum modo hostium sustineret, quod Castruccius speraret, profligato Florentinorum pedite, nullo deinceps labore equitem etiam superari posse. Atque id quidem ex sententia consecutus est: postquam enim peditem hostium in flumen jam repulsum animadverteret, immisso, quem reli-

reliquum habebat, ut equitatum hostium hastis atque jaculis ex latere impeteret, pedite, omnem etiam equitatum suorum equitum virtute à fronte strenuè præterea oppugnatum, in fugam egit. Duces nihilominus Florentini exercitus, cum difficultatem, qua cum equites pro aditu conflictabantur, animadverterent, pedites suos ex inferiore fluminis parte traijcere nitebantur: quo illi ex latere equitem Castruccij peterent. Verum quod ripa undique prærupta esset, præterea à pedite Castrucccij occuparetur, nil egerunt.

Ergo profligatus tandem universus exercitus magnam Castruccio gloriam peperit, exque tanto militum numero vix tertius cladem evasit. Devenere in Castruccij potestatem permulti ducum: Carolus vero Regis filius, Michael Falconius, Taddæusque Albizius, Florentinorum ad exercitum legati, Empolium fuga petiere. Potitus fuit Castruccius præda ingenti: siquidem ex Florentino exercitu XX MCCXXXI milites desiderati fuere, ex partibus Castruccij MDLXX occubuere.

Verum Fortuna ipsius gloriæ inimica, cum vitam viro tribuere debebat, cum ipsa spoliatum, ejusque conatus, multo jam tempore occasionem operientes, morte, quæ sola obsistere ijs poterat, eversos voluit. Castruccius siquidem, ob labores in prælio exantlatos sudore diffluens, à victoria in ipsa Fucechij porta, ut exercitum victorem gratulabundus exciperet, tum ut hostibus, si quid ultra forte conarentur, obviam commode ire posset, aliquandiu substitit: boni ducis esse arbitratus, primum equum conscendere, postremumque eundem relinquere. Quo in loco diutius moratus, ob ventum, qui sub meridiem ex Arno oriri, utque plurimum pestifer esse solet, totus obriguit. Atque ea quidem

res ab ipso laboribus innutrito primitus neglecta, præsentaneæ mortis ipsi causa fuit. Nocte siquidem proxima vehementissima febre correptus, postquam morbum invalescere, cumque tam ex medicorum sententia quam proprio judicio lethalem esse animadverteret, vocato ad se Paulo Guinigio, eum hunc ad modum alloqui cæpit.

Si mihi, fili dilectissime, in mentem venisset, Fortunam in ipso ad gloriam curriculo, quam ex tot tantisque secundis successibus speraveram, mihi interrupturam, equidem jam minus laborum atq; discriminum adijssem, quam minus hostium, licet fortassis minore cum imperij amplitudine, tibi post me reliquissem. Siquidem imperio Lucensium atque Pisanorum contentus, Pistorienses occupare Florentinosque tot injurijs provocare intermisissem; sed potius eorum amicitia comparata vitam si non diuturnam, at certe quietam magis vixissem, imperiumque si non adeo amplum, at proculdubio securum atque firmum magis in te transmisissem. Verum Fortuna, quæ arbitrium rerum humanarum sibi eripi nunquam patitur, neque tantum judicij, quo id mature deprehendere, neque tantum temporis, quo id superare potuerim, mihi largiri voluit. Novisti porro, siquidem permulti id te docuerunt, neque id ego unquam negavi, qua ratione adhuc puer in ædes patris tui devenerim: omnis nimirum spei istius inops, quæ animos generosos excitare solet: quam porro insigni amore ab eo educatus, atque filij instar habitus fuerim: adeo ut ipsius ductu ad eam virtutem fortunamque conater, quam tu ipsemet percipere potuisti, atque etiamnum vides. Nec te latet, postquam obiens & te, & omnes suas fortunas mihi concredere ipsi visum fuit, quanta porro cum fide sollicitudineque, & te habuerim & eas in immensum amplificaverim. Quo vero omne

mnc in te transmitterem, tam quod à patre tuo tibi relictum quam quod secundo meo genio meaque virtute partum esset, eam ob rem ab uxore ducenda animo allieniore fui. Ne forte amor liberorum, ulla ex parte amorem meum animumve gratum memoremque retardaret, quem manibus parentis tui me debere persuasissimus eram. Relinquo ergo tibi imperium amplissimum, idque non mediocri cum animi satisfactione: quod vero id tibi intutum infirmumque destituam, id sanè medullitus doleo. Habes civitatem Lucensem, quæ nunquam æquo animo imperium tuum latura est. Habes Pisas hominibus nobilibus atque fraudulentis refertas: quæ quidem licet servitutem varijs temporibus servire jam edocta sit, nihilominus Lucensem dominum nunquā lubenti animo feret. Pistorienses deniq; minus fidos habes: tam quod divisi, quam quod à nobis recentibus injurijs irritati fuerint. Habes vicinos Florentinos provocatos, atque infinitis injurijs à nobis affectos, nec tamen deletos: quibus quidem mors mea jucundior erit, quam si imperio universæ Tusciæ potiti fuissent. In Mediolanensibus atque in Imperatorem quod recumbas, nihil habes: remoti siquidem sunt, pigri, auxiliaque ipsorum lenta. Ergo nulla alia in re tibi obsecro spes sit, quam in tua industria, atque in memoria, quam virtus mea atque existimatio ex recenti victoria parta nobis peperit. Qua quidem si dextre uti noveris, non mediocre momentum ea, ad firmandam cum Florentinis pacem, tibi conferre poterit: quos, ob recentem cladem eandem avide amplexuros, vero consentaneum est. Quos ergo mihi hostes esse volui (quod nimirum persuasus essem, eorum inimicitiam mihi potentiam atque gloriam paraturam) eos omni studio tibi ambiendos inque amicitiam pelliciendos suadeo atque exhortor: siquidem eorum ami-

citia tibi magno commodo atque utilitati cedere queat. Non mediocriter ſane ad hanc vitam commode agendam facit, ſe ipſum noſſe, atque tam animi quam imperij ſui vires dijudicare: ut qui bello ſeſe imparem animadverterit, is artibus pacis ſeſe tueri diſcat. Atque eo quidem te animo tuo deflectere velim, quo ea via, meis periculis atq; laboribus patefacta, commodum perfrui queas. Quod facile aſſequeris, modo monitis hiſce meis fidem adhibere velis. Eaque ratione duplici nomine mihi obſtrictus tenebere, primo quidem, quod hoc imperium in te tranſmiſerim, deinde quod ejus conſervandi author tibi fuerim.

Poſt hæc vocatis Lucenſium, Piſanorum, atque Piſtorienſium illis qui ipſi militabant, ijſque ſacramento in fidem Pauli Guinigij obſtrictis, diem extremum clauſit. Reliquitque apud eos, qui fama eum noverant, felicem ſui memoriam: penes eos vero, qui eo amico uſi fuerant, tantum ſui deſiderium, quantum vix ullum imperatorem quocunque tempore poſt ſe reliquiſſe conſtet. Excepit oſſa ejus templum S. Franciſci apud Lucenſes: funuſque habuit tanto imperatore dignum.

Guinigius vero nec virtutem nec fortunam adeo amicam ac Caſtruccius expertus eſt. Siquidem haud multo poſt Piſtorienſium, inde etiam Piſanorum dominio excidit. Lucenſe quin etiam imperium vix ægre obtinuit, idque in Paulum pronepotem ſuum uſque tranſmiſit.

Fuit ergo, ut jam docuimus, Caſtruccius vir non modo iſtius, verum etiam multorum quæ anteceſſerant ſeculorum, plane rarus. Erat ſtatura regia, quæ communem excederet: cujusque membra ſymmetria ſibi invicem reſponderent: aſpectu adeo amœno tantaque humanitate conſpicuo, ut nemo unquam minus ſatisfactus ab eo recederet. Crine erat

ſubru-

subrubro, ad aures resecto: quos nulla temporis injuria tegere solebat. Amicis gratus, hostibus terribilis, erga subditos justus, erga exteros infidus, quique nunquam in viribus victoriam reponeret si astu vincere posset. Ajebat siquidem, ipsam victoriam, non vero modum victoriæ gloriæ esse. Nemo eo audacior ad subeunda pericula, nemo cautior ad ea devitanda. Solebat dicere, hominibus omnia conanda esse, neque ulla ex re pavescendum: Deum siquidem viros fortes curare, postquam semper imbelles per fortiores plectere soleat.

Mirus etiam erat in sermonibus, sive quid acute, sive urbane dicendum esset. Sicuti vero eo in genere nemini parcere, ita etiam eodem animo alios ipsum mordentes ferre solebat. Adeo ut multa exstent tam acute ab eo dicta, quam æquo animo in ipsum prolata. Cujusmodi hæc sunt. Cum aliquando sturnum Hungarico emisset, eamque ob rem ab amico quodam reprehenderetur, dixit, tu fortassis eum vix solido emisses: cum ille, vera loqui ipsum respondisset, dixit: At pol ego Hungaricum longe minoris facio. Cum adulatori ignominiæ causa in os aliquando exspuisset, isque dixisset, piscatores unius pisciculi adipiscendi causa persæpe toti madefiunt, atque ego, quo balæna potiar, sputum recusarem? id Castruccius non modo æquo animo tulit, verum etiam adulatorem præmio affecit. Cum quidam eum reprehenderent, quod nimis laute cœnaret, respondit: atqui si id vitio verteretur, non tam splendidis conviviis dies sanctis nostris festos exciperemus. Cum in platea aliquando adolescentem ex lupanari egressum, atque quod ab ipso animadversus fuisset, rubore perfusum vidisset: noli, dixit, verecundari quod inde exeuntem te videmus, sed potius cum ingredi volueris. Cum amicus ipsi nodum affabre implicatum ad

exsol-

exſolvendum eum exhibuiſſet: ſtulte, inquit, an me id diſſoluturum arbitraris, quod etiamnum compactum tantum mihi faſtidium parit? Philoſopho cuidam dicebat: vos inſtar canum agitis, atq; eos qui plus vobis cibi offerunt, ſectamini: At ille reſpondebat: nos vero medicos æmulamur, eorũ ædes inviſimus, qui opera noſtra potiſſimum indigere videntur. Cum à Lucenſibus Piſas verſus nave veheretur, tempeſtateque ſubito exorta Caſtruccius turbaretur, à quodam qui nihil ſe timere diceret, puſillanimitatis argui cœpit, cui reſpondit: id ſe minime mirari, quemvis ſiquidem animam ſuam tanti æſtimare, quantum ea valeat. A quodam interrogatus, quid ſibi faciendum eſſet, quo exiſtimationem mereretur? dixit, fac ad convivium vocatus ne lignum ligno inſideat. Cum quidam jactaret, multa ſe legiſſe: ſatius foret, reſpondit Caſtruccius, plura te menti impreſſiſſe. Alio jactanti, quod multum vinum ingurgitando non inebriaretur, dixit, idem etiam bos præſtat.

Erat Caſtruccio adoleſcentula cum qua ſeſe oblectare ſolebat: ejus rei à quodam amico reprehenſus, præſertim, quod ignominioſum eſſe diceret ipſum à muliercula capi: falleris inquit Caſtruccius, ego illam potius cæpi, quam illa me. Alter cum moneret, cibis eum delicatioribus veſci, à Caſtruccio interrogabatur, an ipſe non tantum in ejuſmodi cupedias erogaturus eſſet; cumq; id minimè quidem gentium alter reſpondiſſet; ergo te, inquit, magis avarũ, quam me helluonem eſſe teſtaris. A Bernhardo Taddæo cive Lucenſe opulentiſſimo & ſplendidiſſimo ad cœnam vocatus, inque cubiculum deductus variis aulæis exornatum, pavimento etiam ipſo lapillis, qui varios colores, frondes, floreſque exprimebant, ſegmentato, Caſtruccius copioſa ſaliva collecta, eam in os Taddæi inſpuit, atque eâ re turbato dixit, equidem nihil

nihil loci videbam, quem minore cum injuria conspurcare possem. Interrogatus, qua morte Cæsar occubuerit? dixit, Vtinam etiam mihi ita occumbere daretur! Nocte quadam à viro nobili vocatus, quo diem solennem hilariter inter nobiles fœminas atque saltationes duceret, atque præter dignitatem tripudijs istiusque generis recreationibus vacare visus, ejusque ab amico admonitus esset, dixit: qui interdiu sapiens sit vix unquam noctu desipere videri queat. Cum quidam ab eo rem petiturus eum accessisset, Castrucciusque tanquam non auditum præterijsset, alter ad genua ejus provolutus ejusdem nomine instare cæpit: eam obrem à Castruccio objurgatus: at tu pol ipse in causa es, dixit ille, qui aures in pedibus geras: quo quidem dicterio plus quam petierat adeptus est. Solebat dicere viam ad inferos valde proclivem esse: quod nimirum ima peterentur, idque oculis clausis. Cum quidam permultis verbis aliquid impetraturus eum onerasset, dixit: Si quid deinceps tibi à me petendum sit vide ut id per alium agas. Alter cum prolixa oratione quiddam ab eo rogasset, tandemque dixisset, fortassis tædium tibi sermo meus pariat: nihil omnium, dixit Castruccius, siquidem nihil eorum quæ dixeras audivi. De quodam qui tam puer quàm adultus formosus habebatur, solebat dicere: nimium ipsum injurium esse, qui puer maritos uxoribus adultus uxores maritis abalienaret. Invidum ridentem interrogavit, an quod alius male haberet, rideret? Dum adhuc sub imperio Francisci Guinigij ageret interrogatus à sodali, quid vis ut tibi dem quo alapam à me patienter feras? galeam respondit. Cum quendā civium Lucensium à quo potentia auctus fuerat supplicio affecisset, atq; veterē amicum interfecisse reprehenderetur: falleris inquit, siquidē recentem hostem necavi. Laudare solebat eos qui nuberent nec tamen uxores domum deducerent, non secus ac eos, qui navigaturos sese dicerent nec tamen navigarent. Mirari sese dicebat homines, dum videat eos

ollas testaceas cœmentititias prius ictibus tentare atque explorare, at uxores dum ducunt visu sibi satisfactum putare. Interrogatus aliquando, quem in modum mortuus sepeliri cuperet? Facie inversa dixit: novisse enim, se mortuo omnem istam provinciam pessum iturã. Interrogatus si pro redimenda anima suâ unquam in cœnobium abire in animo habuerit? nunquam, respondit: iniquum siquidem sibi videri fratrem Lazarum Paradisum, Huguccionem contra Faggiolanum orcum petere. Interrogatus, quando comedere sanitati potissimùm conduceret? Respondit, si dives sis cum fame urgearis, at si pauper cum possis. Cum aliquando observasset nobilem ex sua familia ad astringendas caligas famuli operam adhibere: utinam inquit, etiam ejus manibus cibus tibi ore excipiendus sit! Cum quendã ædibus suis inscripsisse perciperet: Tueatur eas Deus à malo; dixit: primus ergo ipsemet eas non intret. Cum ad viam humiles angustasq; ædes conspexisset quibus maxima janua erat, dixit: ædes hæ per januam fugituræ videntur. Coram Legato Regis Neapolitani, ob bona exulũ in fiscum redacta, cum aliquantum commotior altercando sui oblitus fuisset, atque à Legato monitus fuisset, an non iram tanti Regis metueret? vicissim interrogavit, num bonus an verò malus Rex ille esset? postquam bonum intellexisset: quid agis igitur, dixit, ut à viro bono mihi metuam? Permulta alia narrari possent ab ipso acute atque ingeniose pariter & graviter dicta, verũ hæc in testimoniũ ejus industriæ sufficiant.

Vixit annos XLIII, omnemque fortunam supergressus est. Ut vero secundæ multa supersunt monumenta, ita etiam adversæ vestigia exstare voluit. Siquidem compedes, quibus in carcere onustus fuerat, ad turrim ædium suarum affigi curavit, ut perpetuum ejus sinistræ fortunæ monumentum manerent. Sicut vero neque Philippo Macedone Alexandri Magni patre, nec Scipione Romano ulla ex parte inferior fuit: ita quoque parem vitæ rationem terminumque adeptus est. Atque procul dubio utrumq; eorum superasset, si ipsi loco Lucensium vel Macedonia vel Roma patria obtigisset.

Modus

Modus quo usus est Dux Valentinus in necando Vitellotio Vitellio, Liverotto Firmano, Domino Paulo & Duce Gravinæ Ursinis.

descriptus à

NICOLAO MACHIAVELLO

Modus, quo usus est Dux Valentinus in necando Vitellotio Vitellio, Liverotto Firmano, Domino Paulo & Duce Gravinæ Ursinis,

descriptus à

NICOLAO MACHIAVELLO.

DUx Valentinus reversus è Lombardia, quo erat profectus, ut se excusaret apud Ludovicum regem Galliæ multarum causa calumniarum, quibus ipsum Florentini petiverant propter rebellionem Aretij aliarumq; regionum Glanicæ vallis, Imolam advenit, sibi propositum habens milite invadere Johannem Bentivolum tyrannum Bononiensem; quia in suam volebat redigere potestatem hanc urbem & constituere illam caput sui Ducatus Romaniæ. Animadvertentibus hoc Vitellijs & Ursinis alijsque illorum adhærentibus, videbatur ipsis, Ducem fieri nimis potentem: timendumque esse, ne occupatâ Bononiâ etiam ipsos exstinguere conaretur; quo solus esset armis potens in Italia. Et hac de causa instituerunt conventum Mansione in Perusia; ubi convenêre, Cardinalis, Paulus, & Dux Gravinæ Ursini, Vitellotius Vitellius, Liverottus Firmanus, Johannes Paulus Balio Tyrannus Perusiensis, & Dominus Antonius de Venafro missus à Pandulpho Petruccio principe reip. Senensis. Ibi autem multa in mediũ proposuerunt de magna Ducis potentia & ejus animo; quodq; proinde necessarium esset ejus frenare cupiditatem, cum reliquis in magno sese alias futuros periculo. Constituerunt autem, se non deserturos esse Bentivolios, operamque daturos, ut sibi

conciliarent Florentinos. Ablegárunt quoque in unum & alterum locum suos legatos, aliis promittentes auxilia, alios adhortantes, ut sese unirent cum ipsis contra hostem communem. Hic conventus statim per totam innotuit Italiam: & populi, qui malo erga Ducem erant animo, quos inter erant Vrbinatenses, conceperunt spem res novas moliendi. Vnde accidit, dum animi ita essent compositi, ut nonnulli Vrbinatensium sibi proponerent occupare castellum S. Leonis, quod Dux possidebat. Idque arrepta hac occasione. Is qui arci præerat muniens illam curaverat apportari multa ligna; conjurati vero accurate observárunt, aliquas trabes attractas in arcem jacere supra pontem, ut hoc modo impediti non possent illi, qui in arce erant, sursum pontem attrahere. Captantes ergo hanc occasionem, insilierunt in pontem, & quindecim in arcem penetraverunt. Propter hanc vero expugnationem, simulac illa innotuit, rebellavit tota illa regio & revocavit Ducem veterem: concepta spe non tam ab occupatione castelli, quam à conventu Mansionense, quo mediante putárunt se posse satis defendi. Fœderati vero percipientes rebellionem Vrbinatensium, è re esse arbitrati sunt, non sinere præterlabi hanc occasionem, eoque collecto milite progressi sunt ad expugnanda omnia, si forte provinciæ hujus aliquid sub dominio Ducis remaneret. Miserunt quoque denuo Florentiam, ut hanc remp. in suas partes sollicitationibus traherent, ad exstinguendum commune incendium: jactantes factionem devictam, & datam occasionem, quâ meliorem nemo exspectare possit. Verum Florentini ex odio, quo prosequebantur diversis de causis Vitellios & Vrsinos, non tantum non ipsis adhæserunt, sed miserunt etiam Nicolaum Machiavellum secretarium suum ad Ducem, ut offerret illi receptaculum & auxilium contra hos suos

suos hostes novos. Hic vero plenus pavoris ac bello propinquo distractus & inermis Imolæ erat; quia uno impetu & præter omnem opinionem milites præcipui ab illo defecerant. Sed resumto animo propter oblationes Florentinorum sibi proposuit, partim trahere bellum, cum paucis illis militibus, quos habebat adhuc ad manum, & artibus pacificis: partim vero etiam parare auxilia. Hoc autem fecit duobus modis: cum sollicitans regem Galliæ milites, tum stipendium dans omnibus hominibus militaribus aliisve qui quocunque modo equos tractabant. Hisce autem non obstantibus, progressi sunt hostes, veneruntque prope Forum Sempronij: ubi illis quidem aliqui Ducis milites restiterunt, sed à Vitellijs & Vrsinis fuerunt cæsi. Quæ res effecit, ut Dux sibi proposuerit solummodo id operam dare, num posset hasce turbas per tractatus componere. Quia vero erat maximus simulator, non defuerunt, per quos nunciare potuit illis qui moverant arma contra illum, sese cupere, ut omne illud quod acquisiverat ipsi possiderent, sese contentum fore titulo Principis, ipsi principatum tenerent. Idi autem adeo illis persuasit, ut ablegaverint Dominum Paulum ad tractandum cum Duce, & arma deposuerint. Verum Dux interim non intermittebat rebus suis prospicere, sed magna cum sollicitudine augebat numerum equitum & peditum: neve hoc innotesceret, mittebat milites huc illuc, & distribuebat per omnia loca Romaniæ. Interea acceperat etiam quingentos milites Gallicanos. Licet autem adeo jam potens esset, ut aperto Marte posset se vindicare à suis inimicis, nihilominus putavit securius & utilius esse illos decipere; ideoque non abrumpere tractatus.

Hæc autem res tanta industria agitata fuit, ut cum hostibus pepigerit pacem, confirmaverit item veteres con-

res con-

res contractus. Statimque ipsis dedit quatermille ducatos: promittens se non offensurum Bentivolos, imo cum Johanne initurum necessitudinem: promittens deniq; illos nolle sese cogere ut se personaliter coram se sistant, nisi pro illorum lubitu. Ab altera parte promiserunt illi, restituere Ducatum Vrbinatensem omniaque reliqua à sese occupata: ut &, sese velle ipsi in omni expeditione servire, nec sine ipsius permissione bello cum quoquam congredi. Conclusa hac pace Guidobaldus Dux Vrbinatensis fugit iterum Venetias: idque postquam dejecisset omnia fortalitia hujus regionis. Etenim se fidens populo, nolebat, ut ista fortalitia, quæ defendi haud posse credebat, hostis occuparet, & illis mediantibus suos amicos coërceret. Verum enimvero Dux Valentinus cum iniisset hoc pactum, & distribuisset suos milites cum Gallicis per totam Romaniam, sub exitum Novembris Imolâ profectus est Cæsenam; ubi multos consumsit dies propter negotia Vitellorum & Ursinorum, qui erant cum suis militibus in Ducatu Vrbinatensi: quid nempe iterum novi sit incipiendum. Sed nihil fuit conclusum. Liverottus Firmanus missus fuit, ut offerret, si ipsi placeret invadere Hetruriam se esse ad illud exequendum paratos, sin, ad expugnationem Senogalliæ sese ituros. Cui respondit Dux, se nolle bellum gerere in Hertruria, quod Florentini sint sui amici; sed se esse contentum, ut Senogalliam aggrederentur. Inde vero contigit, ut haud multo post nunciatum fuerit, regionem quidem se dedidisse, sed arcem se nolle dedere; velle enim castellanum hanc tradere in manus Ducis, non autem alterius: quamobrem ipsi adhortati sunt, ipsemet veniret. Duci visum, optimam hanc esse occasionem omnem adimendi suspicionem; quia non à seipso sed ab illis vocatus veniret.

Utque

Utque magis securos redderet, dimisit omnes milites Gallicanos, qui cum ipso reversi erant è Lombardia, exceptis centum Domini de Candala cognati sui; & profectus fuit circiter medium Decembris Cesena Fanũ. Hic vero omnibus astutijs & fraudibus, quantum potuit persuasit Vitellijs & Vrsinis, ut illi sese expectarent Senogalliæ: ostendens, aliàs per rusticitatem eorum non posse pactum illud, quod inierant, reddi neq; fidele neque diuturnum; se autem esse hominem qui cuperet armis & consilio amicorum valere. Quanquam vero Vitellotius acriter resisteret, morte fratris edoctus, quod nemo debeat offendere Principem & postea iterum se illi fidere: nihilominus persuasus à Paulo Vrsino, qui donis & promissis à Duce erat corruptus, consensit eum expectare. Quamobrem Dux ante XXX diem Decembris MDII jamjam Fano profecturus communicavit suum propositum octonis suorum fidelium amicorum (inter quos fuit Dominus Michaël & Dominus de Luna, qui postmodum electus est in Cardinalem) & commisit illis, ut, quamprimum Vitellotius, Paulus Vrsinus, Dux Gravinæ, & Liverottus, obviam venirent, duo semper in medio assumerent unum illorum; assignans quemvis eorum certis hominibus, qui illum sermonibus detinerent usque in Senogalliam, nec illos paterentur abire, donec hi pervenissent ad domicilium Ducis & essent capti. Postea ordinavit, ut omnes sui milites tam equites, quam pedites, quorum erant II millia equitum & X millia peditum, essent cum prima luce cis Metaurũ fluviũ, qui distat V. milliaribus à Fano. Postquam itaque ultimo Decembris cum his militibus ad Metaurum esset, jussit progredi circiter ducentos equites; post hos movit pedites: post illos ipse cum reliquis militibus est sequutus. Fanum & Senogallia sunt duæ civitates Marcæ, sitæ ad littus maris Adriatici, distantes à se in-

 vicem

vicem xv millieribus; sic, ut qui tendit Senogalliam habeat in dextro latere montes, quorum radices aliquando se extendunt usque ad mare, ut inter illos & mare brevissimum sit spatium, ubi se postea dilatant conspicitur spatium duorum milliarium. Vrbs Senogallia ab his radicibus montium, non plus distat quam uno teli actu, & à mari minus quam uno milliari. In latere hujus urbis parvum currit flumen, quod illam partem murorum alluit, quæ est versus Fanum prope viam. Sic qui Senogalliæ appropinquat, venit per longam viam juxta montes, quæ conjungitur cum flumine, quod præterfluit Senogalliam, ubi se flectit versus sinistram juxta littus hujus fluvij. Hinc qui progreditur ad unius fere teli jactum ad pontem aliquem accedit, qui structus est super hoc flumine: ac deinde pergit usque ad portam, qua intratur Senogallia, non per rectam lineam, sed transversam. Ante portam est suburbium cum aliquo spatio, ante quod agger fluminis dividit unum latus.

Interea cum Vitellij & Ursini constituissent exspectare & præsentes honorare Ducē; ut locū præberent ejus militibus, suos miserant ad quosdam pagos, distantes à Senogallia ad sex mimilliaria, & reliquerant solum Liverottum in Senogallia cum suis militibus: M. pedites & CL equites collocaverant in suburbio, de quo supra est dictum. Rebus hoc modo dispositis, Dux Valentinus venit Senogalliam: & accedente prima parte equitum ad pontem, illum non sunt transgressi, sed subsistentes verterunt equorum alteram partem ad flumen, alteram ad terram, & reliquerunt viam in medio, per quam pedites progrediebantur, qui sine mora in terram descendebant. Vitellotius, Paulus, & Dux Gravinæ mulis insedentes obviam iverunt Duci, quos comitabantur pauci equites: & Vitellotius inermis, solummodo tunica munita

panno

panno subdititi'o viridi indutus, totus tristis, tanquam conscius esset suæ futuræ mortis, excitabat in alijs, quibus virtus viri & pristina fortuna erat nota, quandam admirationem. Quin fertur; cum ille discedens à suis militibus proficisceretur Senogalliam, obviam iturus Duci, quod quasi ultimum valę illis dixerit, suis capitaneis commendata domo sua & fortuna, suisque nepotibus: hortatus, ut recordarentur non fortunæ familiæ, sed virtutis paternæ.

Itaq; tribus istis obviam procedentibus Duci, & illum comiter salutantibus, Dux eos amœno excepit vultu, illi vero statim ab ijs, quibus cura hæc erat demandata, sunt in medio collocati. Dux autem videns Liverottum non adesse, ut qui manserat cum suis militibus Senogalliæ, consistens ante aream sui domicilij trans flumen, ut illos in ordine retineret & exercitaret, innuit Domino Michaëli, cui Liverotti cura erat commissa, ut provideret, ne Liverottus aufugeret. Quapropter Dominus Michael est progressus, & adiens Liverottum ei dixit, non esse tempus retinendi milites extra domicilia, ne illa occuparentur à militibus Ducis: ideoque, illum hortatur, ut milites dimitteret, & ipse veniret Duci obviam. Faciente vero hoc Liverotto, supervenit Dux & illum videns amice compellavit: quem post exhibitam reverentiam Liverottus comitatus est cum alijs. Hoc modo Senogalliam adventantibus omnibus, ac relinquentibus equos suos ante domicilium Ducis, cumque eo intrantibus in locum aliquem secretum, Dux statim illos in carcerem conjici curavit, ac mox equo conscenso mandavit, ut milites Liverotti & Vrsinorum armis exuerentur. Et quidem Liverotti milites statim fuerunt spoliati, quoniam erant in propinquo: Vrsinorum & Vitellorum vero militibus, quoniam erant dissiti, jamque audiverant ruinam suorum dominorum, tempus

dabatur sese mutuo conjungendi. Et vero in memoriam revocantes virtutem & disciplinam familiæ Vrsinorum & Vitellorum, sese junxerunt, ac contra voluntatem inimicorum sese suaque salvarunt. Cæterum milites Ducis, non contenti spolijs militum Liverotti, aggressi sunt spoliare Senogalliam: & si Dux cœde multorum non repressisset illorum insolentiam, totam expilâssent. Adventante autem nocte, & composito tumultu, commodum Duci visum occidere Vitellotium & Liverottum: eoque deductos in aliquem secretiorem locum curavit strangulari. Ubi neuter horum protulit quidquam dignum vita anteacta. Quia Vitellotius petijt, obsecrari Papam, ut sibi concederet plenariam indulgentiam suorum peccatorum; Liverottus omnem culpam injuriæ in Ducem commissæ conjecit in Vitellotium. Paulus & Dux Gravinæ sunt relicti vivi, donec Dux perceperat, quod Romæ Papa in carcerem conjici curasset Cardinalem Vrsinum Archiepiscopum Florentinum, & Dominum Jacobum de Sancta Cruce. Hoc accepto, die XVIII Ianuarij in Castello de Pieva sunt eodem modo strangulati.

ANTO-

ANTONII POSSEVINI
E SOCIETATE IESV
Judicium
De
NICOLAO MACHIAVELLO.
Excerptum ex libro illius
Romæ ex Typogr. Vaticana
edito.
M D XCII
Iussu INNOCENTII IX Papæ.

Cautio de jis quæ scripsit tum Machiavellus, tum is, qui adversus eum scripsit Antimachiavellum, cui nomen haud adscripsit.

Diximus alibi, non defuisse Machiavello ingenium & acumen, sed defuisse pietatem & usum rerum. Quibus tanquam duabus alis qui careat, si volatum attentet, præceps ruat necessum est. De Machiavello igitur id rursus statuendum est, hominem fuisse, cujus consiliis qui adhibuerit fidem, facillime sentiet, non ita multo post, quantuncunque solidum Principatum, Remp. Regnum, Imperium, convelli & cadere.

An vero poterat consilium dari pestilentius, quam quum Principi suadet, *ut spreto alieno consilio sui ipsius prudentia innitatur? Pietatem & religionem, quam etiam non habeat, præ se ferat? Si quid in religione falsum sit comprobet ac firmet, dum id prosit fovendæ qualicunque religioni? Religionem ethnicam præferat Christianæ? Doctores Christianæ religionis nihili faciat? De Ro, Cath. Ecclesia pessime sentiat? Moysis auctoritatem & leges vi & armis non fide ac Deo nixas fuisse credat? Fortunæ & casui felicitatem, non virtuti & religioni veræ tribuat?*

Et hæc quidem sceleratum illud Satanæ organum, prioribus duobus libris, quibus de Principe agit, sic insipienti mundo obtrusit, ut hoc veneno epoto, plærique sese ingentes politicos & consiliarios æstimantes, constitutas optime optimorum Regnorum res facili negotio pessumdederint.

At naturalis & divini luminis radij secus illustrant sapientum hominum mentes: qui à Deo conditi quum sectati

essent

[illegible] ductum majorum, qui probissimi & fortissimi fuerant, experti sunt, pietate, ac una Catholica religione, mox consilio, veritate, humilitate, imperia stetisse; contrarijs autem vitijs corruisse. Id quod pluribus hoc seculo, ex provincijs ac Regnis quondam florentissimis, in oculos passim incurrit.

Inter multas Ecclesiæ notas, una est (inquit Bellarminus) felicitas temporalis divinitus collata eis, qui Ecclesiam defendunt. Nunquam enim Catholici Principes ex animo Deo adhæserunt, quin facillime de hostibus triumpharent. Notæ sunt inprimis victoriæ in Testamento veteri Abrahæ, Mosis, Iosuæ, Gedeonis, Samuelis, Davidis, Ezechiæ, Iosiæ, Maccabæorum. In Testamento novo Constantinus, qui primus ex Imperatoribus Ecclesiam defendit, eo fere modo Maxentium vicit, quo Moses Pharaonem. Et de eo sic ait Augustinus libro 5. Civit. cap. 25: *Constantinum Imperatorem, non supplicantem dæmonijs, sed ipsum verum Deum colentem, tantis terrenis implevit muneribus, quanta optare nullus auderet. Universum orbem Romanũ unus Augustus tenuit ac defendit; in administrandis & gerendis bellis victoriosissimus fuit; in Tyrannis opprimendis per omnia prosperatus est; grandævus ægritudine & senectute defunctus est; filios imperantes reliquit.* De Theodosio seniore scribit idem Augustinus ib. cap. 26. quod quia Catholicus erat, adeo prospere illi omnia succedebant, ut in prælijs tela hostium in ipsos, Deo agente, retorquerentur. Addit Theodoretus lib. 5. hist. cap. 24. SS. Joannem & Philippum Apostolos apparuisse in equis albis in eodem prælio, qui pro eo pugnabant. De Honorio etiam plane Catholico, & Romano Pontifici addictissimo, ut patet ex ejus epistolis ad Bonifacium Papam, scribit Aug. lib. 5. Civit. cap. 23. ita Deum pro illo pugnasse, ut uno prælio amplius quam centum millia hostium prosternerentur, & Rex ipse hostis cum filijs caperetur, & occi-

& occideretur, ex Romanis ne uno quidem vulnerato, ne dicam extincto. De Theodosio juniore scribit Socrates lib. 7. cap. 18. hist. quod ejus exercitu pugnante cum Persis, quum Saraceni venirent in auxilium Persarum, Angeli turbaverunt Saracenos, & eorum circiter centum millia in Euphrate submerserunt. Iustinianus, donec catholicus fuit, felicissime imperavit, ita ut Italiam, & Africam & alias multas regiones Romano Imperio restituerit: ut patet ex Evagrio lib. 4. hist. cap. 16. & seq. At ubi hæreticus factus est, & edictum proponere voluit de sua hæresi recipienda, mox repentina morte sublatus est, & Ecclesiam magno metu liberavit; ut idem Evagrius scribit lib. 4. cap. ultim. Heraclius similiter dum Catholicus esset, præclarissimam victoriam de Persis reportavit, & crucem Domini recepit, quando res Romanæ desperatæ videbantur. At postquam factus est hæreticus Monothelita, omnia infeliciter successerunt, & ipse novo atque inaudito morbo extinctus est. Constat etiam ex historijs Græcorum, Zonaræ, Nicetæ, Nicephori Gregoræ, Laonici Calchocondylæ, Imperatores Orientis ab eo tempore, quo propter dissidium circa Imagines se ab Ecclesia Romana separaverunt, semper magis & magis decrevisse, donec tandem Imperium amiserunt. In Occidente vero liquet ex historicis nostris, Nauclero, Sabellico, Antonino, &c. semper imperatores magis vel minus floruisse, prout magis vel minus Romanæ Ecclesiæ se filios & protectores ostenderunt. Tempore Innocentij III. in Gallia ab octo millibus Catholicorum cæsa sunt uno prælio centum milla partim Albigensium hæreticorum, partim eorum qui illis favebant: ut scribit Æmilius lib. 6. hist. Francorum. Nostris temporibus anno 1531. quinque prælia commiserunt Helvetij Catholici cum hæreticis Helvetijs, & semper Catholici vicerunt, cum tamen essent numero & armis multo inferiores. Vide Cochlæum in

actis Lutheri anni 1531. Carolus V. miraculo divino victoriam reportavit de Lutheranis anno 1547. In Gallia quoque & Belgio multas victorias Catholici de hæreticis, non sine miraculo, reportarunt; imo vix unquam fuerunt hæretici superiores, quando justo prælio dimicatum est.

Lib. 3. Sed redeo ad easdem labes Machiavelli, ut cognita pestis magis caveatur. Neque enim quidquam perniciosius effari poterat, *quam quum belli justitiam in ea, quam quisque putat sibi esse necessitatem,* statuit. Quippe hac occasione juste inflammasse orbem universum Nerones, & impij quique, hæreticique, omnes pro sua libidine dicerentur; quum tamen belli justæ tantummodo causæ sint, defensio, aut restitutio religionis, patriæ, pacis, & aliorum bonorum magni momenti, à legitimis potestatibus.

Nihil item magis venenatum, quam quum aït, *Principi, ut omnem penitus pacis spem ac desiderium præcidat, insignibus injuriis violandos esse adversarios: In provinciis subactis colonias sic esse collocandas, ut veteres ablegentur incolæ: Quibus autem mutatio gravis est, omnes esse subvertendos, & familias funditus tollendas* (Viden' hinc Mahometismum palam statui?) *Pravis moribus esse implendam seu provinciam sive civitatem, quas sine bello velit ulcisci: Stultum esse, si quis putet, veterum injuriarum oblivionem induci novis benefactis: Principi tyrannum aliquem insignem imitandum esse, temnendamque crudelitatis famam, dum in officio subditos contineat: Expedire ut metuatur plus quam ametur: Amicitiæ haud fidendum: Si quem plectere velit, speciosum aliquid esse prætexendum: Leonis & Vulpis induendum ingenium: Immanitatem uno impetu, sensim vero exercendam beneficentiam: Factiones esse alendas inter subditos; tollendos autem de medio boni publici amantes: Pessima denique omnia, arte, dolove, & ruina subditorum, esse patranda.* Hæc igitur & hujusmodi alia nebulo ille impius, naturæ, juris, re-

tis, religionis osor, & Atheismi invector: quare & blasphemans evomuit damnatam animam.

AT etsi à prudentibus ethnicis haud male, à Christianis autem optime ista omnia fuere prius refutata, quam à Machiavello collecta; fuit tamen non ita pridem inter Calvinianos, qui quum Genevam aufugisset, librum edidit, quem Antimachiavellum, celato suo nomine inscripsit. In eo ex antiquis historijs ducit quidem argumenta, quibus Machiavellus oppugnatur: sed ubi hic Catholicam oppugnat Ecclesiam, vel ubi occasio sese dat, facile Machiavellum blasphemando æquat & superat. Quare quod poterat usui esse, ac quicquid præmij consequi apud Deum & homines, si in Machiavello confutando perstitisset, utrumque perdite perditus amisit. Quod sane hæretici fere faciunt, dum antidotis abutuntur, non ad tollenda sed ad insinuanda & tegenda venena.

QVANTO rectius Sanctus Thomas aureo opere de regimine Principum, regem Cypri docuit? Quis Rex, quæ necessitas sit, ut & ipse ratione regatur: Quam natura passim ordinem spiret in omnibus etiam quæ sensu carent: Qui finis, quum regimen injustum sit atque perversum, si privatum non publicum commodum quærat: Quæ ratio administrandi potior, nempe per unum, quandoquidem & hoc Deum ipsum referat, & naturam imitetur. (Sicut enim unius administratio optima est, quum justa est: sic si sit injusta pessima est.) Quomodo regimina vel unins, vel plurium, vertantur in tyrannidem: Quomodo hæc tollenda, vel declinanda, aut etiam interdum toleranda sit: Quid præcipue Regem debeat impellere, ut recte administret, honosne, vel gloria, an alia: Quoniam vero mundanus honor, & hominum gloria Regiæ solicitudinis non est sufficiens præmium, ideo expectandum esse à Deo præmium. *Non enim* (ait ex Augustino) *Christianos Principes, quia diutius imperarunt, vel imperantes filios morte placida reliquerunt, vel hostes Reipublicæ diminuerunt, vel cives adversum se insurgentes & cavere & opprimere potuerunt; sed felices eos dicimus, si iuste imperant, si malunt cupiditatibus potius, quam gentibus quibuslibet imperare, si omnia faciunt non propter ardorem inanis gloriæ, sed propter charitatem felicitatis æternæ. Tales Imperatores Christianos felices interim dicimus, spe postea re ipsa futuros, quum id quod expectamus, advenerit.* Hæc Sanctus

 Thomas

Thomas ex Augustino. Quæ postea sapientissimis rationibus firmat, dum & monstrat præmium Regum, tenere excelsum gradum in beatitudine cœlesti: quare & bono regimini studendum esse ob bonum sui ipsius, atque ob id, quod inde percipitur fructus; quum sic quoque magis divitiæ, potestas, honor, & fama, quam ex improba administratione consequantur. Cæterum Regem in regno debere esse sicut animam in corpore, & sicut Deum in mundo, qui cuncta ordine, propria operatione, loco disponit: sic tamen ut distinctæ sint administrationes, Sacerdotalis, & Regia, & suum unaquæque præstet officium. At sicut ad ultimum finem consequendum requiritur, ut Rex subditos suos disponat ad vivendum secundum virtutem, ita requiri, ut eos disponat ad fines medios. Quos explicat, rationibus additis, quibus impedimenta tollantur.

Quæ cum summatim priore libro egisset, descendit Secundo libro ad ea, quæ pertinent ad instituendam civitatem: ad arces statuendas, ad pecunias recte comparandas; ad probos administratores (ubi & de Dominio politico, & despotico) ad itinera tuta, & commoda: ad justas mensuras, & pondera: ad pauperes sustentandos: ad cultum divinum rite solideque exercendum.

Tertio libro adhuc altius atque præstantius docet: omne dominium esse à Deo, ex consideratione naturæ entis, & motus cuiuslibet creatæ naturæ, ac finis. Post quæ de antiquo Romanorum dominio, de Pontificatu Christiano, de cæteris Imperatoribus, & regibus, & alijs grandibus, sapienter disserit.

Quartum librum absolvit tractatione ea quæ ad plurium dominium spectat, quod Politicum dicitur. Vbi varia recenset administrationum genera, quæ ethnici adhibuere, quæve Socrates, Plato, Aristoteles, & alij de hac re attigerunt. Quæ eo refert, ut constitutionem integram civitatis per tale regimen tradat.

Hoc igitur paucis ad optimum librum indicandum satis est: quo rectissime quisque adversus Machiavelli, & Antimachiavelli imposturas possit præmuniri. Quum quæ postea Chrysostomus Iavellus copiosius, & optima methodo, hac de re, alijve scripserunt, maxime versanda sint ijs, qui vel administrant, vel administrantibus consulunt.

EX

EXCERPTA EX L. III.

DE

NOBILITATE CHRISTIANA

HIERONYMI OSORII

Episcopi Algarbiensis Lusitani

De nonnullis sententijs

NICOLAI MACHIAVELLI

EX LIB. III DE NOBILITATE CHRISTIANA, HIERONYMI OSORII EPISCOPI.

De Nicolao Machiavello.



QUin etiam impurus quidam scriptor atq; nefarius, in libris, in quibus & suæ civitatis historiam, & multas quæstiones ad reip. statum pertinentes Etrusco sermone complexus est, non putavit dissimulandum, quid de nostrorum sacrorum religione sentiret. Christianam religionem scribit, illam magnitudinem animi, quæ in antiquis elucebat, funditus sustulisse: Romani Imperij ruinam, laudis & gloriæ labem, virtutis etiam militaris interitum, huic sanctissimæ summi & æterni Dei religioni, assignandum putat. Tum postremo, ut aliqua ex parte vitet offensionem bonorum, id inquit non vitio religionis, sed interpretum, qui illam male intellexerunt, accidisse: cum tamen non posset ostendere quæ fuerit illa perversa interpretatio quæ tantorum malorum causam præbuerit. Sed ut infixo aculeo honeste posset quacunque ratione discedere, ineptissimam illam medicinam justi doloris adhibuit. Parcerem mortuo, si non plures nunc monumentis inquinatissimis, quam olim vita contemptissima læsisset. Sed quando tam indignum convicium Christianæ nobilitati illius defuncti scripta faciunt, non dubitabo Christi præsidio tectus, cum hominis conscelerati manibus confligere. Quod tamen non studio pugnandi faciam, sed ut eorum amentiæ, atque sceleri resistam, qui in eadem mentis cæcitate versantur. Late enim disse-

dissеminatum ex hoc malum, multosque funesta contagione graviter infecit.

Primum igitur illud requiro, quid in nostris hominibus viderit, quod posset ulla ratione contemnere? Nam si magnitudo animi perspicitur ex rerum humanarum despicientia, & ex quadam elatione, nihil nisi divinum & inclytum cogitante, nihil certe illustrius esse nostris potest: qui cum se intelligerent in divinam familiam vocatos, omnes res mortales infra se positas esse dixerunt, omniaque vitæ consilia ad divinitatem & immortalitatem retulerunt. Si fortitudinis est omnis invicta patientia; quis nostrorum animum non admirabitur, cum viderit ipsas etiam virgines pro Christi nomine acerbissima supplicia & omnes corporis cruciatus appetivisse? Quantis laudibus celebratur Leæna meretrix, quod multis tormentis lacerata, consocios conjurationis non indicarit? Quantis Anaxarchus eadem ipsa de causa? Quantis denique Syracusanus ille Thraso, quod nullis supplicijs adduci potuerit, ut socios conjurationis proderet? Hos certe Machiavellus ipse (sic enim appellatur præclarus scriptor, cum quo mihi res est) nullo modo contemnendos putabit, propterea quod expertes veræ Religionis extiterunt: quam solam laudis expertem esse vult, & conjurationis participes fuerunt, cujus experiendæ rationem in summa laude ponit. At quam obscura est illorum constantia, si ad nostrorum virtutem conferatur! Si enim causam respicias: illi Tyrannorum odio, à quibus læsi erant, supplicia perferebant; nostri Christi amore, à quo divinis beneficijs ornati fuerant, tormenta omnia levia putabant. Si cruciatus magnitudinem consideres atque diuturnitatem, in nostros non usitata, ut in illos, sed nova & inaudita genera tormentorum inventa fuerunt, quæ diutissime vivorum corpora lacerarent atque contunderent. Illi deinde in desperatione omnium

mortem

fortunarum dignitatis speciem aliquam retinuerunt: nostri cum sibi utrum vellent liberum fuisse, non inviti tamen mortem claram cum ignominiosa vita commutarunt. Si ad numerum advertas ridiculum est, paucissimos infinitis opponere. Hanc tu disciplinam, è qua tam præclara documenta virtutis extiterunt contemnis: Hac institutione, quæ infirmam etiam naturam mulierum, imbecillam ætatem puerorum, incredibili constantia armavit, quæ tantam multitudinem in laudis & gloriæ stadium incitavit, abjectos animos, atque demissos effici contendes? Quæ est ista mentis perversitas, ut virtutis umbram admireris, veram virtutem pro nihilo habendam putes? Sed nimirum illud est: Faciem tantum Crucis adspicis, virtutem illam excellentem sub specie Crucis occultatam non intueris. Nec enim mens angusta, tenebris oppleta, & sordibus inquinata, tantæ lucis splendorem sustinere ullo modo potest. Christi enim disciplina, ut inquit Paulus, perditis & profligatis hominibus, inscitiæ & humilitatis speciem præbet; moderatis vero, divinoque beneficio confirmatis ostendit sapientiæ cœlestis, atque divinæ virtutis amplitudinem. Atque quemadmodum in Christi persona omnes illam faciem videbant, in qua, ut erat Esaiæ vaticinio prædictum, non erat species neque decor: non tamen omnes illam gloriam divinitatis, quam Ioannes vidit, inspexerunt: sic etiam multi propter similem mentis caliginem, Christianorum vitam inanissimis ornamentis nudatam despiciunt; illam vero excellentem Christianæ dignitatis lucem aspicere nulla ratione possunt.

Sequitur ut etiam de virtute militari aliquid dicamus, quam ille à Christianis moribus & institutis longe alienam putat. *Qui convenit* (inquit ille) *cum istius virtutis celebritate gloria contemptio, quæ Christianis omnibus præscribi soles? Nemo*

enim nisi laudis studio inflammatus fuerit, pericula sibi subeunda putabit. Jam quod asserit, neminem, nisi qui laudis studio adductus sit, fortem fieri posse: non credo facile concessuros illos philosophos fuisse qui simul & de contemnenda gloria conscripserunt, & fortitudinis innumera præcepta tradiderunt. Nam si illa mutuo sese perimere existimarent, nunquam essent tam amentes, ut eadem opera homines à cupiditate laudis abducendos, & in studium virtutis incitandos esse ducerent. Virtutem autem illam esse statuerunt, quæ non ex vulgi rumore penderet; sed quæ præclaras actiones ipsius honestatis causa susciperet. Hic autem sic argumentatur quasi sola laudis cupiditas ad virtutem acuat, & non alij multi potiores sint virtutis & industriæ stimuli, quibus bonorum animi dies & noctes concitati, pericula libenter & studiose suscipiant: nempe insignis in patriam benevolentia, ipsius virtutis amor, egregia deinde legum atque religionis observantia, quæ quidem omnia sunt in Christianorum institutis perfectissima. Quid si laudis etiã studiosissimi sunt? Tamen isto erit quisquam vel furore, vel impudentia, ut hoc nomine dignitatem illorum imminuere conetur? Sunt illi quidem ab inanis laudis cupiditate remotissimi; immortalis tamen, & veræ gloriæ cupiditate vehementer incensi. Despiciunt hominum famam, ad veram tamen laudem, quæ Christi omnia conspicientis testimonio continetur, ardenter incumbunt. Non cupiunt homines rerum suarum spectatores habere, nempe qui sciant, se, Angelis inspectantibus omnia præclara facinora suscepturos. Hoc magni animi est, hoc generosi atque magnifici, non pendere ex imperitæ plebis opinione, infima omnia negligere, cœlestia tantum atque divina contemplari. Quid enim iste dicat in Christianis moribus humile atque demissum, non satis intelligo. *Si superbiam, &*

am, & insolentiam, si mores immanes, si animos contumaciter elatos, atque inflatos, animi magnitudinem indicare putat: fateor nihil in terris esse Christianorum natione contemptius: nempe quæ summa contentione in studio moderationis, mansuetudinis, lenitatis evigilet. Si vero virtutes omnes, ut etiam eruditissimi prodiderunt, uno conjunctionis vinculo continentur: nec ulla pugna inter illas esse potest, tantum abest, ut mansuetudinis atque modestiæ laus splendori fortitudinis adversetur, ut etiam nullo modo à se invicem divelli atque disjungi queant. Itaque nemo vir fortis esse potest, nisi idem sit mansuetus atque moderatus. Longe enim fallitur opinione: qui animi impetum non æquitatis & humanitatis studio, sed cupiditate atque furore concitatum, fortitudinem appellandam potius, quam importunæ cujusdam belluæ veritatem putat. Iste autem præclarus auctor, qui Principes ad communis salutis perniciem instruit, qui imperij opes non tam æquitate & clementia, quam perfidia & crudelitate stabilire docet, appellet sane quo velit nomine furorem illum, cunctam barbariem scelere & immanitate superantem, dummodo nemo sanus tam stultæ atque nefariæ opinioni assentiatur. Nos vero nunquam ita amentes erimus, ut illam animi moderationem, quam sacræ literæ appellant humilitatem, ut clementiam & mansuetudinem, cujus nobis idem auctor extitit, qui & eximiæ fortitudinis exemplum ipsam fortitudinem impedire dicamus. Nam cum virtutes inter se conglutinatæ sint, tum vel maxime animi moderatio atque fortitudo. Utraque enim ab eadem animi magnitudine profecta, eandem propemodum retinet dignitatem. Nec enim majoris animi est impetum hostium sustinere quam cohibere iracundiam, & omnem perturbationem reprimere, nec ulla offensione ab

humanitate & à mentis constantia deturbari. Non itaque ferme fuit vir egregie fortis, quin etiam laudem mansuetudinis sibi adsciverit. Quanta gloria fuit illa Themistoclis, cum esset in consilio Græcorum à reliquis ducibus convicijs indignissime vexatus, ille vero petulantiam illam non convicio sed patientia comprimendam putaret? Quid hic Periclem referam? Quid Iulium Cæsarem, & alios complures, qui non majore studio virtutis imperatoriæ nomen, quam mansuetudinis & patientiæ laudem venabantur? Contra vero, ut quisque maxime angusti animi est atque demissi, ita est ad iracundiam & feritatem maxime propensus. Omnes illi barbari, qui à disciplina fortitudinis abhorrent, ita crudeles habiti sunt, ut loquendi consuetudo crudelitati ipsi barbariei nomen adscripserit. Quid de mulierum natura dicam? Quibus ut nihil est imbecillius, ita nihil ad injuriam persequendam concitatius. Quod si modestia atque mansuetudo virtutis splendorem non excludit, sed cum ab eadem animi magnitudine nascatur, ipsam fortitudinem exornat: ista tamen erit quisquam dementia, ut Christianam mansuetudinem imbecillitatem vocet, præceptis fortitudinis repugnantem? Quæ malum est ista perversitas atque impius furor, ut ea, quorum tenuem umbram in alijs suspicimus, in nostris vera & summa contemnamus? Magnanimi semper habiti sunt, qui contumelia lacerati & injuria lacessiti ira non efferuntur. At nostri illam disciplinam à Christo acceperunt, ut humanitate convicia, beneficijs injuriam ulciscantur. Ergo dicet aliquis, cum ita mansueti sint, nunquam impetum hostium à suis finibus depellent, neque sceleri armis resistent, sed quemvis furorem beneficio compensabunt. Hoc qui dicit, minime expendit officiorum momenta: nec intelligit alia alijs personis, locis, temporibus, causis convenire. Christiani

ipsi,

ipsi, qui in privatis offensionibus & injurijs moderationem, atque patientiam amplectuntur, iidem in publicis periculis acerrimi & vehementes publicæ salutis atque libertatis vindices existunt, præsertim ubi simul agitur dignitas religionis. Tunc enim mansuetudinem flagitium, patientiam scelus nefarium arbitrantur. Hac mente præditus fuit divinus ille Moyses, quem sacræ literæ perhibent fuisse inter omnes mortales mitissimum, qui tamen & hostium copias singulari virtute repressit, & læsi numinis offensionem multorum supplicio placuit. Talis fuit etiam David, quem unum divina oracula laude mansuetudinis unice commendant. Hic tamen incredibili virtute maximos & fortissimos hostium exercitus profligavit, & ingentes alienigenarum strages edidit. Sic etiam multi Christiani Principes ad omnem rationem humanitatis commodissimi, bellicæ fortitudins gloriæ laudem mansuetudinis æquarunt. Quid? ipse Christus nonne satis exemplo suo nos admonuit, quatenus esset utendum mansuetudine, quo rursus in loco severitatis persona suscipienda esset, cum sacrilegos, qui sacras ceremonias polluebant, flagris severe & acriter insecutus est? Non est igitur cur quisquam Christianam mansuetudinem aspernetur, cum ita cum vera fortitudine conjuncta sit, ut nihil possit esse copulatius. Utraque enim ab eodem fonte manat, & altera alteram incredibiliter illustrat.

Nunc ad postremum egregij scriptoris argumentum veniamus, quod totum in Religione consistit, & in illis antiquis ceremonijs omni scelere contaminatis. *Tantam enim vim habuisse putas hostiarum cædem profanam, atque pecudum stragem, ut repente ex timidis feros & audaces efficeret. Nos itaque qui nec hostias cædimus, nec quadrupedum sanguine aras cruentamus, nec exta inspicimus, magnis ad virtutem instru-*

mentis hoc religionis incommodo privari. Hic profecto nescio, quid vel ad impietatis furorem, vel ad mentis cæcitatem, & stultitiam addi possit. Nefariam superstitionem cum sanctissima Dei immortalis Religione comparare, facinus est inexpiabile, atque nefandum: existimare autem, illum qui pecudum carnificinam intrepido vultu conspexerit continuo fortem evasurum, extremæ dementiæ argumentum. Cur enim isto auctore non conquirimus omnes lanios? cur non etiam carnifices (hos enim oportet magis efferatos esse, à quibus hominum corpora lanientur) ad arma similiter evocamus? Ut scilicet illa virtute, quam aut sanguine pecudum, aut supplicio damnatorum adepti sunt, in hostes irruant, & à nobis omnia pericula propulsent. Quid si ostendo, omnia in illis gentium sacrificiis & ceremonijs ad imbecillitatem atque formidinem spectavisse, nec aliquid fuisse quod animum confirmare posset? Primum precationes illæ priscis atque solemnibus verbis institutæ, quantum anxietatis habebant? In quibus si quid titubatum fuisset, si quid præposteris verbis, aut sinistris ominibus effatum, putabant continuo omnes Deos P. R. iratos fore. Deinde quanta illa formido erat hominibus, anili superstitione implicatis injecta, cum non satis ex animi sententia litabatur? cum exta dirum aliquod & tristem minabantur exitum? Cum vero accidisset, ut multas eodem tempore hostias immolarent, & casus ita tulisset, ut aliarum exta darent illa signa, quibus homines existimabant, Deos omnia secunda promittere, aliarum vero tristia denunciarent: necesse erat, ut essent incredibili metu suspensæ mentes illorum, qui neque secundis extis propter varietatem & inconstantiam confirmari poterant, neque rursus dira propter religionem, qua erant penitus imbuti, contemnere. Quid ostenta, prodigia, aruspicum responsa, quan-

ſæ, quantam vim habebant ad animos debilitandos atque frangendos? Cum nihil omnino neque natura, neque fortuito accidiſſet, quod non interpretarentur, Deorum id conſilio fieri cladem aliquam portendentium. Itaque vel alitis volatus, vel terræ fremitus, vel dextrum fulmen, vel quævis ejuſmodi monſtra atque conficta interdum prodigia, terrorem atque metum miſeris hominibus incutiebant. Quid autem ſoliſtima tripudia commemorem? quæ cum eſſent coacta, nec illis quidem ſuperſtitioſis hominibus, & auſpicio valde deditis firmam ſpem facere poterant. Si vero pulli caſu aliquo non paſcerentur, eaque res ad militum animos permanaret, quaſi de pernicie à Dijs ipſis præmoniti, attoniti religione manus cum hoſte non conſerebant, ancipiti formidine perturbati atque impediti. Multis itaque in locis proditum memoriæ eſt, exercitus fuſos atque cæſos eſſe, quod vitio contra hoſtes educti fuiſſent. Quod quidem minime mirum eſt. Cum enim eſſent iſta religione perfuſi, ut crederent, non ſine Deorum conſilio & numine, cladem atque peſtem denunciantium, pullos injectam offam neglexiſſe, ob idque omnium mentes concidiſſent, manusque metu obtorpuiſſent, neque ſolita ſpe atque audacia prælium commiſiſſent, neceſſe erat ut cladem aliquam inſignem acciperent. Inde adeo factum eſt, ut omnes illis religionibus valde dediti, quos fanaticos appellabant, in timore perpetuo & cura mente ancipiti verſarentur. Quid? quod multi viri ſtrenui leviſſimis oſtentis permoti, magnam multis in locis timoris ſignificationem dederunt? Lacedæmonij, ut de Græcis etiam aliquid dicamus, cum bellum aliquod ſuſcepiſſent, Regeſque ipſi in patriæ finibus de more ſacrificarent, ſi caſu non litabant, exercitus continuo domum reducebant. Cumque eſſent Lacedæmonij moribus & inſtitutis ad duri-

tiem

tiem atque virtutem militarem educati, tamen ea imbecillitate ducta ex sacrorum impura religione tenebantur, ut bellum intermitterent. Jam si strepitus aliquis auditus fuisset, omnia belli consilia ab illis deserta & omissa jacebant. Quid autem quæso aliud, ut Lacedæmonios omittamus, Atheniensium opes evertit, quam anilis quædam, & misera superstitio? Cum enim imperator sane fortis Nicias, & classi & exercitui simul cum Demosthene præfectus esset, & Syracusas oppugnaret, intelligeretque civitatem illam & suis viribus & totius Græciæ auxilio munitam capi non posse: Demosthenesque instaret, ut classem à portu deducerent, ne præcluso exitu ab hostibus, omne robur Atheniensium, quod in illa classe continebatur, misere periret: id Nicias ipse comprobabat, religione tamen impeditus salutare consilium executus non est. Paucis enim illis diebus Lunæ lumen, terræ, ut certis temporibus fieri necesse est, interjectu defecerat. Id Nicias ostentum ratus, ad religionum interpretes deferendum statuit. Illi nefas esse respondent intra triginta dies classe navigare, aut quippiam aliud moliri. Interea Siculi magnis molibus portus fauces obstruunt, & exitum multis navibus objectis intercludunt. Classis igitur illa, in qua flos Atticæ juventutis, & Atheniensium robur inerat, cum jam frustra classem hostium perrumpere, & è portu progredi conaretur, inepta illa Niciæ superstitione miserrime dissipata, atque depressa est. omnisque nobilitas occisione consumpta. Hæc tu sacra impia, has religiones impuras & aniles ad virtutem erudire, & instituere dices, quæ homines etiam impuros, & audaces, horribili formidine replebant, mentem à constantia deducebant, consilia salutis impediebant? Eam tu gratiam Christo optimo maximo refers, cujus munere, atque beneficio tam impia, tam impura, tam dementi superstitione leva-

ne levati atque liberati sumus, ut illam etiam Christi religioni anteponas? Nam si animi Christianis institutis informati, fracti languidi atque demissi efficiuntur: illis vero antiquis & impuris ceremonijs, quibus divini honores habebantur impiorum hominum simulachris, ad virtutem incitabantur: illa certe videntur his nostræ religionis institutis omnino præferenda. At vide in quanta erroris opinione atque amentia versatus sis. Qui vere Christiana religione imbuti sunt, non alitis involatu, non oscinis cantu, non extis tristia monentibus permoventur: non terræ motu, non fulmine, non prodigijs ullis, aut monstris conturbantur. Nihil est denique quod animum hominis Christiani convellere aut labefactare possit. Sic est enim institutus, ut si orbem terrarum bellis ardere videat, si omnia sibi pericula intendi, si cuncta incendio conflagrare atque pene consumi, ipse tamen optima spe plenus constantiam retineat, nec ullo unquam horrore perfundatur. Primum, quia credit esse se fortissimis copijs constipatum atque communitum. Didicit enim è sacris literis, esse quosdam cœlestes exercitus qui piorum hominum salutem tueantur, & ab illis, cum commodum est, omnem impetum atque furorem hostium propulsant. Hoc enim se præsidio vallatum esse sensit Jacobus, cum castra Dei se conspicere testificatus est. Rursus cum Syriæ exercitus Elisæi capiti immineret, ipsiusque minister formidine perterritus opem imploraret: *Noli timere*, inquit Helisæus, *plures enim nobiscum sunt*. Subjungit deinde sacra historia, *Cumque orasset Helisæus, ait: Domine aperi oculos pueri huius, ut videat. Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit, & ecce mons plenus equorum & curruum ignearum in circuitu Helisæi.* Atque ne quis in paucos illud Divinum præsidium collatum esse putet, alibi de universis,

 qui pi-

qui pietatem colunt, Deumque caste & pure venerantur
Psal. 33. sic scriptum est: *Imminet angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* His igitur testimonijs qui firmissimam fidem adjungit, seque divino præsidio munitum esse credit, trepidare metu non potest, sed elato animo atque confidenti, id quod alio in loco scriptum est, usurpabit:
Ps. 26. *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. Si*
Ps. 19. *exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo.* Item illud: *Hi in curribus, illi in equis, nos autem in nomine Domini invocabimus. Ipsi obligati sunt & ceciderunt, nos autem surreximus & erecti sumus.* Hæc igitur spes gentem Christianam imbecillo animo esse non sinit. Deinde immortalitatis cogitatio, atque certa gloriæ futuræ præsensio, quantam vim habet ad constantiam stabiliendi? Refert Cæsar, Gallos ita Druidum disciplina, quæ persuadere nitebatur non interire animas sed ab alijs corporibus ad alia post mortem transire, fuisse vehementer ad virtutem excitatos. Itaque metu mortis neglecto, intrepide sese in quodcunque capitis periculum atque vitæ discrimen inferebant, cum nihil aliud esse mortem opinarentur, quam mutationem vitæ atque in alia corpora migrationem. Itane tandem? Prisci illi Galli immortalitatis opinione vanissima, ex inani quadam superstitione concepta, nulla pericula recusabant: Christiani qui non imbecilla opinione, sed constanti fiducia credunt, se postquam ex hac vita excesserint fore beatissimos, mortem horrebunt? Quid enim magis in Christiana religione celebratum, quam omnes eos, qui coluerint justitiam & pietatem, posteaquam è corpore quasi è vinculis emissi fuerint, in cœlum evolaturos, ut immortali gloria ævo sempiterno perfruantur? Quid deinde est magis animis nostris infixum, quam fore aliquando, ut corpora, quæ jam penitus

com-

consumpta sunt, instaurentur: atque cœlesti splendore collustrata, rursus cum animis ipsis inviolabili fœdere conjungantur: ut sic divinitus renovati, omnibus summis & æternis voluptatibus animo & corpore potiamur? Hoc qui persuasum habuerit, nunquam, mihi crede, ab ista vita, innumeris ærumnis, atque calamitatibus inquinata, invitus & iniquo animo discedet. Quid autem postremo dicam de amore illo, quo illi, qui vere Christi sacris imbuti sunt, quotidie magis inflammantur? Illud certe perspicuum est, nulla re magis incitari ac incendi animos ad omnia capitis pericula subeunda quam benevolentia & charitate. Nihil est enim amanti difficile, nihil non suave & jucundum, quod pro re quam habet caram, suscipiatur. Mortem ipsam, quæ omnibus horribilis est & maxime pertimescenda, ultro etiam appetendam interdum putat, non modo contemnendam. Quod si tantum valet amor levissimis sæpe de causis inter homines conciliatus, ut contemptionem mortis etiam inducat: quid de illius charitatis magnitudine dicam, quæ munere Spiritus divini puris & integris mentibus concessa est? Ejus certe vi concitata Christiana nobilitas, omnem vitæ suavitatem in laboribus & periculis ponendam esse duxit, omnes corporis voluptates & fluxos honores omniumque rerum affluentiam aspernata. Illa Christi cupiditate vehementer incensa, neque minis, neque terroribus, neque inauditis supplicijs à pietate dimoveri potuit. Illa postremo faciebat, ut omnia tormenta, quæ pro Christo, quem unice & ardenter amabat, patiebatur, levia atque jucunda putaret. Quin etiam nihil videbatur Christianis æque optabile & expetendum, atque pro Dei immortalis religione vitam in summis totius corporis cruciatibus amittere. Quod minime mirandum est. Nam cum amor omnem animi cogitationem avertat à

formidine; necesse est, ut summum atque divinum amorem, grandis constantia atque divina consequatur. Utra igitur tandem religio ad virtutem facilius incitabit? Ea ne, quæ hostiarum fibris, aut alitum involatu, aut apum examine, atque confictis monstris suspensam tenet hominum imbecillitatem? An illa potius, quæ animos ita confirmat, ut neque totius orbis conversione labefactari possint? Illa deinde, quæ dementi superstitione ipsam humanæ virtutis exercitationem sæpenumero impedivit? An illa potius, quæ infirmam naturam mulierum & teneram ætatem puerorum virtutis constantia roboravit? Illa postremo, quæ nulla firma spe mentes humanas confirmare poterat? An illa, quæ divini auxilij ostensione, certissima spe immortalitatis, Dei amore atque studio, ad divinam virtutem erudivit, & ad omnium rerum humanarum despicientiam instruxit? Sed quid opus est hominis istius impurissimi vel impietatem vel amentiam multis argumentis convincere, cum utrumque sit adeo manifestum, ut nihil facilius deprehendi possit? Impietatis scelus, cum istis maculis velit aspergere Christianam dignitatem; quod nunquam fecisset, si aliquam præclaram opinionem de Christi divinitate habuisset. Furoris amentiam, cum tam falsis ineptis male cohærentibus rationibus nefariam illam sententiam confirmet. Atque scio quidem me longius oratione provectum, quam fortasse necesse fuit. Hoc autem si quis vitiosum putabit, velim ut partim tribuat hanc veniam justo dolori, quo sum mirabiliter elatus: partim existimet, id instituto nostro minime alienum fuisse. Cum enim de Christianæ claritatis splendore sermonem instituissem, Etruscus autem ille scriptor, eandem impurissimo genere orationis obscurare conatus esset, non dissimulandum putavi: præsertim cum eorum numerum, qui vel scriptis illius incitati, vel sponte sua, ejusdem sceleris atq; furoris affines sunt, late & varie diffusum intelligerem.

Anonymus in imaginem Nicolai Machiavelli.

Supremum per te nacta est Prudentiæ culmen,
Vlterius nec quo progrediatur habet.

Auctor præfationis in editionem Latinam Francofurtensem Principis.

Fuit Machiavellus summo ingenio: usque adeo, ut post hominum memoriam nullum exstitisse tantum existimem, cum quo Machiavellus suo quodam modo conferri nequiverit. Historiarum omnium tantam cognitionem habuit, ut seu rebus omnibus gerendis interfuisset, causas consilia progressus eventusque omnium, in animo prompte haberet. Quæ res illi una cum acutissimo ingenio conjuncta, ad reipublicæ administrationem, universumque vitæ Politicæ usum, tantum momenti attulit, quantum ratio cum experientia conjuncta, unquam alicui in aliqua arte aut exercitatione prodesse potuerit. In consilijs capiendis, ac rerum suscipiendarum deliberatione, solus videtur Historiæ usum intellexisse. Tanta scilicet fuit ejus solertia & industria in conferendo domestica exempla cum peregrinis, præsentia cum futuris atque præteritis, similia cum similibus; ut ex præteritis rerum futurarum eventus prævidere persæpe potuerit. Et quid multis opus est? Vnum sufficit nobis argumentum, ejus Disputationes nempe, quas Discursus appellavit de rebus à Tit. Livio prima Decade scriptis. In quibus antiquissimam illam veterum Romanorum virtutem, tanquam in compendio comprehensam expressit, ad imitandum proposuit, & ob quas causas nostra ætate hujusmodi præclara facinora nulla

 patren-

patrentur, tam evidenter demonstravit, ut totius Historiæ succum in ijs comprehendisse videatur. Adeo scilicet, ut ex earum lectione industrius Lector, qui vir bonus esse velit, ad vitæ politicæ usum plus utilitatis cognitionis ac experientiæ brevi temporis spatio sibi comparare possit, quam si multos annos in evolvendis libris de rep. ab alijs quibuscunque auctoribus scriptis sese maceraverit.

Idem ibidem.

Nos ex doctissimorum virorum institutione existimamus, summam illius viri prudentiam fuisse, longo rerum usu comparatam, eamque scripta ipsius legendo non admirari nequimus, præsertim in Disputationibus de Republica quarum prius fecimus mentionem. Interim tamen errores ipsius, præsertim quos habet in libro de Principe, nullo modo excusamus neque defendimus.

IVSTVS LIPSIVS Præfat. ad Lectorem. præmissa Libris VI Politicor.

Qui nuper aut here tentarunt *de Principe scribere*, non me tenent aut terrent. In quos, si vere loquendum est, Cleobuli illud vetus conveniat: *ἀμουσία τὸ πλέον μέρος λόγων τε πλῆθος*: *inscitia in plerisque & sermonum multitudo.* Nisi quod unius tamen Machiavelli ingenium non contemno, acre, subtile, igneum: & qui utinam Principem suum rectà duxisset ad templum illud Virtutis & Honoris! Sed nimis sæpe deflexit, & dum commodi illas semitas intente sequitur, aberravit â regia hac viâ.

FINIS.

